INTRODUCTIO
AD
HISTORIAM
UNGARIÆ
CRITICO-POLITICAM.

INTRODUCTIO
AD
HISTORIAM
UNGARIÆ
CRITICO-POLITICAM.

. . . . . Sapere aude.
Horat.

Ofné Belobog

VIENNÆ,
TYPIS A GHELENIANIS 1770.

EXCELLENTISSIMIS,

AC

ILLUSTRISSIMIS

DOMINIS DOMINIS

COMITIBUS

CANCELLARIO,

PRO-CANCELLARIO;

NEC NON

ILLUSTRISSIMIS

CONSILIARIIS

AD EXCELSAM

CANCELLARIAM

REGIAM

HUNGARICO-AULICAM.

EXCELSA

CANCELLARIA

REGIA

HUNGARICO-

AULICA,

DOMINI, DOMINI

BENIGNISSIMI,

GRATIOSISSIMI.

Ut in lucem hoc opuſculum emitterem, Patriæ amor, idem ut EXCELSÆ CANCELLARIÆ ſacrum vellem, mea erga EXCELSAM CANCELLARIAM me impulit obſervantia.

Novi equidem, niſi limatum judicio, & longo labore ſubactum, nil pro dignitate offerri Excelſo alicui Senatui; at iſtud adeo ſtudium promovendi literas EXCELSÆ CANCELLARIÆ dat in comperto, quod licet præſens opuſculum literariæ duntaxat primitiæ

tiæ ſint, id ſibi tamen ut inſcriberetur, benigne indulſit.

Ardens nimirum boni publici zelus res ita curat ſummas, ut neque, quæ vel minimam videantur allatura utilitatem, aſpernetur; amor ſcientiarum ſovet Saluſtios, Cæſares, & Tacitos; ſed neque reſpuit ordinum cæterorum cultores literarum.

Et vero quid EXCELSA CANCELLARIA non agit, quo ſcientiæ apud nos magis effloreſcant? quo domi noſtræ Lycæum artium omnium habeamus? Nec nullo operæ pretio eo ſuſcepti ſine labores. Athenæo Tyrnavienſi poſt paulo Beneficentia Auguſtæ, quæ adhuc de-

deſiderabantur partes, adjiciet, cæpta Pazmaniana cumulum ſuum accipient: qua re nil Patriæ utilius contingere poterat.

Men' autem præterire illam in conciliando Principatu, & libertate felicem EXCELSÆ CANCELLARIÆ operam, cui Regnum omne ipſa adſtipulante Auguſta applaudit? mihi quidem, res natura diſſociabiles Principatum, & libertatem temperare eum admodum, ut ne alteri altera adverſetur, unum omnium difficillimum, quod ars Politica habeat, videtur.

Cæteros in amplianda Regni dignitate EXCELSÆ CANCELLARIÆ labores, quoniam comple-

plecti ſingulos brevi oratione nequeam, malim omnino non attingere; idque ſolum de illis in univerſum pronuncio: ſi par Patriæ ſtudium eos, ad quos hæc honorum inſignia transibunt, animaverit, præquam ullis retro temporibus Regnum brevi efflorescet. Hæc nationis univerſæ ſenſa ſunt, hæc vota. Quæ ut cumulentur, ſimul EXCELLENTISSIMOS, ac ILLUSTRISSIMOS DOMINOS, ac PATRONOS BENIGNISSIMOS Reipublicæ concedere velint diutiſſime, Superos deprecor.

EXCELSÆ
CANCELLARIAE

devinctiſſimus author.

CONSPECTUS OPERIS.

CAPUT I. *Deſcriptio, ac Diviſio Ungariæ.*

- - - II. *Recenſio gentium Ungariam colentium.*

- - - III. *Linguarum varietas.*

- - - IV. *Morum diverſitas.*

- - - V. *Forma Eccleſiæ.*

- - - VI. *Religionis ſtatus.*

- - - VII. *Ordines Religioſi.*

- - - VIII. *Forma Regiminis politici.*

- - - IX. *Regum recenſio.*

- - - X. *Officia Politica.*

- - - XI. *Jus Patrium.*

- - - XII. *Regni Dicaſteria.*

XIII.

- - - XII. *Res literaria.*

- - - XIV. *Ortus Nobilitatis: ejus classes, ac prærogativæ.*

- - - XV. *Commercia.*

- - - XVI. *Ærarium Regium.*

- - - XVII. *Res Nummaria.*

- - - XVIII. *Status Militaris.*

- - - XIX. *Ordines Equestres.*

- - - XX. *Regni Insignia.*

- - - XXI. *Regnorum ad Ungariam spectantium recensio.*

CA-

CAPUT I.

Descriptio, ac divisio Ungariæ.

Qui populorum res gestas monumentis tradunt, vulgo eum ad modum scribendi initium faciunt, ut regionis descriptio sit operis principium: qua in re architectos æmulari mihi videntur, quibus molem aliquam instituentibus educere, soli vestigatio cura princeps.

Mihi nonnullam introductionem ad Historiam Ungariæ Critico-politicam dare meditanti, neque omnino negligenda hæc ratio auspicandi videtur, neque etiam in recensione munerum,

quæ vel communiter cum aliis Regnis eidem contigerant, vel propria omnino ſunt, prolixiorem expedit, quod non defuere decora ingenia, quæ id ante me præſtiterant eloquentia pari, ac libertate; attamen, quoniam ſummæ operis lucis non modicum affundat cœli ac ſoli notio; brevis inde utriusque deſcriptio præſentis tentaminis principium erit.

Ungaria, Romani & Turcici validiſſimorum imperiorum limes & irritamentum, a Leyta flumine ad ſavi oſtia procurrit milliaribus octoginta, ſeptuaginta millium ſpatio divulſis invicem finibus cæteris Polonia, Croatiaque, & Sclavonia: Regnis inde Europæ pluribus præſtat amplitudine.

Novimus equidem, & facile largimur, triplex Europæ imperium, Turcorum videlicet, Ruſſorum, & quod Romano ſucceſſerat; ad hoc Franciæ, Hiſpaniarum, & conterminæ Poloniæ regna fundi latius; verum prægrandia hoc corpora regnorum aggerationes, præquam regna melius appellaveris, quod eadem coaleſcant e membris com-

compluribus, regios olim honores ſingulatim ferentibus: enim vero cenſet etiam Ungaria ſibi penitus inſerta Regna, ſed de his alias erit locus dicendi, nunc unam Ungariam luſtramus.

Eam a Polonis, Dacisque continuum Alpium Carpathiarum jugum dirimit, qua Germaniam, Turcasque, ac Illyricum aſpicit, tenuatur in planitiem. Ubertas Regionis, Imperiorum potentiſſimorum propinguitas, ac æmulatio, prompti ex utroque aditus, ſedem eam bellorum conſtituunt. Obtinuerat olim, fatalem exteris eſſe, ſcriptorum malignitate, an rerum noſtrarum ignoratione, cujus ut aliorum conviciorum, Ungariam tempus abſolvit. Equidem non diffitear, bellis ſuperioribus plus morbis hauſtum militis exteri, quam enſe Turcico; verum ſtragem hanc nequaquam aëris gravitas dedit, ab una ingluvie hoſpitum incautorum arceſſenda eſt.

Summam Neapolitano cœlo puritatem procurrentium teſtimonia, & jugum Appenninum adjiciunt; num minus tamen e fonte ſimili, nimirum in-

 tem-

temperantia militis coorta lues, hodieque, ſive ſoli nativi, ſive Galli militis appellationem retinens, Ludovici duodecimi accidit exercitus? ſane ut ex aliorum ſuos formare mores ſapientiæ, non ſecus valetudinis ſuæ curioſi eſt, genera alimentorum e cœli natura deſcribere. Laponiæ aſperrimæ recte depromuntur frigoris lenimenta, vina generoſiſſima; at vero ſi eadem ſub fervidiore cœlo, quale apud nos menſibus æſtivis accenditur, indulgentius haurire cæptaveras; in valetudinibus ſcilicet aditum aperuiſti latiſſime.

Agrorum, colliumque ubertatem, & paſtionis magnitudinem inſpirare ſocordiam incolis vulgo aſſeritur: ex quo vel convicio, vel juſta cenſura utriusque magnitudo coarguitur, quæ in aperto cum ſint, operam abuterer, in luce alioqui poſita, illuſtrare connitens.

Sed enim tramittere ſilentio merum nobiliſſimum non queo, quod vites Tokajæ *fundunt: quam licet referre gratiam* ſcriptores Ungaros convenit ejus commemoratione, quod orbe toto celebrat Ungariam; id vero mirum: vinum hoc provenire, qua in ſeptentrionem vergit Regnum, cœloque aſperiore ſubditur; neque minus & illud: latere illius primordia, communi fato cum omnibus rebus, quas in orbe præcipuas voluit natura. Enimvero ſcriptorum vetuſtiſſimi in comendandis Syrmii vitibus nequaquam parci, Tokajarum nuſquam meminerant; ſed neque apud authores ævi medii ulla earum veſtigia detegas.

Fæcunditas ſoli tanta arcere in ævum omne malum debuerat, ſterilibus Provinciis familiare; vexatum tamen fame, incolarum ingenti ſtrage data, non raro Regnum, annales domeſtici fidem faciunt: unde conficere pronum eſt, Regionem nullam, quamvis uberrima ea ſit, malo huic eſſe inviam, niſi aditus præſtruantur, illorum, qui præſunt, provida ſolicitudine; neque notam prodi certiorem præpoſteri regiminis, quam famis, & contagii graſſationes crebras, documento luculento Turciæ.

Qua in juga aſſurgit, nobilis metalli

li prædivitem voluerunt Ungariam ſuperi, propitii, an irati? circumjecta Cremiczio plaga, Temeſienſis Provincia, ager Nagy-Banyenſis auri argentique venas gignit: ferrum, mineræ cæteræ ignobiles vulgo eruuntur. Sed enim, ut nihil orbe toto numeris omnibus abſolvit natura; quæ agro Potoſino ferrum, ſtannum nobis negarat. Ita eſt Regionum, hominumque ſors, ut ſive induſtriæ acuendæ, ſeu incitamento virtuti, aliqua in re deficiant.

Huc accedunt diverſi marmoris Latomiæ, lapidum illorum vis ingens, quibus fulgor inſolitus pari duritia ſociatus pretium fecit. Equidem in cimelio Dynaſtæ cujusdam frequentes ſpectaram Adamantes, Rubinos, Opalos domeſticos, & reliquas opes regni mineralis, quæ evolventem rerum noſtrarum ſocordia advertit, quod non majori ſedulitate hæc naturæ munera veſtigemus, & forte eruta tenebris mancipemus quæſtuoſis, nullo literariæ Reipublicæ emolumento.

Celeberrimus Belius optime de re literaria patria alioqui meritus, monu-

mentis eruditionis ſuæ reliquis naturalem Ungariæ Hiſtoriam parabat adiicere, ſed his deſtinatis ſuprema neceſſitas interceſſit. Viri doctiſſimi Valerius, Lehman, & Scopoli rem Ungariæ mineralem carptim, neque non ſuo more eruditiſſime perſtringunt. Fortaſſe rerum noſtrarum aliquid delibarant, quo facem indigenis præferrent.

Sane indecorum noſtro ſæculo, id eſt, omnium quotquot fluxerant hactenus doctiſſimo, nullam paruiſſe *Floram* Ungariæ, non *Entomologiam*, Regnive mineralis *Conſpectum*, arbores domi natæ fruticesque ignorabuntur, donec ſuos Ungariæ Linæos dare Superi abnuerint. Nec vero ſpernendum operæ pretium ferret, qui argumentum hoc novitate, & amplitudine juxta commendabile ſcribendum arriperet; quod unum hoc Regnum plura naturæ introſpiciendæ ſubſidia idonea ſufficeret, quam ſive Suecia, Norvegiaque, ſive Gallia, & auſim dicere, quotquot Regiones procurſionibus eruditis luſtratæ, ad hoc temporis prodiderant.

 Cau-

Causas rei hujus scrutatus, comperio, contemni nostris, præquam ignorari genus scientiæ, cultoribus ejus non minus, quam Reipublicæ sua quidem opinione minime proficuum. Quid enim, inquiunt, distributio fruticum, insectorum recensio, privatæ, seu publicæ rei adjecerit? adjicit enim vero plurimum utrique.

Namque, ultra labem socordiæ, vis argenti per magna in exteras, nec raro hostiles gentes effunditur, seu lapidum causa, seu dum medicamina accersimus, quibus domi nata virtute sæpe paria, subin & præstant. Ad hoc turbæ inopi familiares angustiæ horum medicaminum usum, quibus nonunquam una peregrinitas pro virtute, prohibet: unde fit, ut multi fato propero, levique de causa exstinguantur, vitam in longius producturi, si cura melior Floræ domesticæ impenderetur. Ex quo in rem communem damni non modicum promanat, efflorescentem pro numero civium. Quid? quod abigendis pecorum morbis, quibus greges lætissimi quot annis neci dantur,

tur, herbarum notio subsidia idonea suffectura videtur.

Qua Turcarum, Romanoque Imperiis jungitur, in planitiem tenuari Ungariam, supra memoravimus: cæteri limites fere saltibus, ac montibus præruptis defenduntur. Amplitudine sua, ac veritate herbarum, fruticumque, neque minus gemmarum procreatione juga cætera supergrediuntur Alpes Carpathiæ juxta Poloniam, Daciam, ac Ungariam, longissime procurrentes. Proxima his Matra est, Regni meditullio sese haud clementer attollens. Hodie mons hic cum binis Carpathi jugis Fatra, & Tatra nobiliorem gentilitii scuti partem constituit: unde appellatio hæc montibus imposita, nolim dispicere; certe ea nec Atticam, nec vetus latium sonat. Super hos alii mineris notæ montesque, & colles toto Regno passim assurgunt, ut natura sive firmitati mundanæ compagis, seu ornamento, planitiem jugis distinxerat, ac rursus æquos campos montibus subdiderat.

Sylvæ nominatiores, si locum in re-

 bus

bus celebrioribus tesqua inveniunt, sunt apud nos Baconia, Vértessia, & cui frequentia luporum nomen fecit, nobis *Farkas Erdeje.*

Juga eo frequentia inopem aquarum Ungariam non sinunt: & profecto vicenis amplius rigatur fluviisque, & amnibus; eorum complures patientes navium sunt, alios opera modica e legibus Hydrostaticæ impensa ferendis navigiis idoneos redderet: quidam ultra sortem fluviorum communem munifici auri ramenta vectant. Fluviorum omnium Regni, ut Europæ reliquæ facile princeps Danubius est. Modico principio in ditione Firstenbergica ortus plures populos adit, donec maximis fluminum auctibus tumescens, in mare Ponticum meatibus septem erumpat. Florentibus Ungarorum rebus ab Carnunto ad Bessos Pannonius fluxit: at nunc quantulus Ungariæ Provincias prætervehitur! sed enim quantuscunque: aquæ altitudine, piscium, & auri ubertate super omnia Europæ fluenta certe inclytus est. Olim Trajano Augusto ponte apud Mæsios jun-

junctus: geminaturus miraculum erat Rex Corvinus, ni mors intercepisset meditata. Cæterum quod Turcis adversus, nobis secundus fluit, exinde fit, ut ex comodis mutuis coorto cum Regibus Turcarum diffidio, fere ad Istri ripas avocetur bellum, ac juxta eas fortuna partium transigatur.

Fluvii accolæ Tibiscus, Dravus, ac Savus gloria minore fluunt; nihilominus fluviis Europæ nobilioribus accensendi, quibus nova ex eo gloria, quod partem alteram scuti domestici interluant hodie.

Flumina hæc potiorem Regni partem irrigant ingenti emolumento, sed majori adhuc proventuro e tot commercii invitamentis, si eadem in usum traducerentur. Fluviorum horum, atque item aliorum mole aquarum minore incedentium, nosse qui cupit fontesque ac ostia; nec non his interceptos cursus, scriptores patrios consulat, mihi hæc talia pluribus exequi, alienum a proposito.

Lacus duo prægrandes Peisonis, & Balatonius, aspicientibus eminus, ampli-

plitudine, & perennitate fluctuum, ſpecies maris, prætermittendi non erant. Plinio Lacus Peiſo Noricis jungebatur; (a) Sed ſcriptores alii Pannoniæ ſuperiori, vel Valeriæ eum melius attribuunt: juxta illum Murenum, urbs ſtetiſſe videtur, ubi hodie Neſiderium.

Sed neque minerales aquas in Ungaria deſideres, quin Europa reliqua pari numero vix proſiliunt. Commendantur a vi medica cum primis Budenſes, Sklenenſes, & Trenchinienſes. Thermarum hac crebritate ſortaſſis penſare voluit artis medicæ penuriam communis illa parens; nulla enim toto regno ad hoc temporis ſchola Hypocratis.

Tantum eſt, quod Divum munere Ungariæ contigit: jam fidem incorruptam profeſſo, dicenda pari libertate naturæ in eam malignitas. Regnum metallorum uberrimum ſtanno carere, ſupra retulimus; eoque uſibus domeſticis impenſis non levibus aliunde accerſitur. Mercurium quoque Idria Car-

(a) Hiſt. Nat. lib. 3. cap. 25.

Carnioliæ urbs ſufficit: quamquam tanta amicorum metallorum affluentia etiam Mercurii venæ locupletes pateſcerent, ſi veſtigarentur; quid? quod Cryſius hoc non minus, quam gravis auro decurrat; optabilis inde juxta, deteſtandusque accolis.

Denique eo pertinet aquarum earum vis ingens, quæ a fluminibus ripas ſupergreſſis in ſubjectos campos propulſæ late reſtagnant, & quoniam nec ſorberi ſolo humente, neque ob declivitatem Svetos alveos norunt repetere, vitium faciunt; nulli enim regno toto Hollandiæ, Galliæque exemplo, quibus fluminum incerta vetarentur, meatus, ultra eum, quem Comes Mercius a Danubio ad ſuburbana Temeſiæ plurium millium ſpatio perduxerat. Atque hactenus ſcriptores exteri nequaquam vero abſona produnt, dum cœlum in Ungaria ſalubrius requirunt; verum malum hoc, quantum eſt, Ungariæ inferæ eſt, ad ſuperam non pertinet. Cæterum, ut alta domi pace ab anno ſæculi labentis undecimo, neque ullis civium perſtrepentibus armis, Re-

Regnum in dies efflorescit amplius, spes non ex vano est, fore, ut eorum, qui præsunt, provida solicitudo huic quoque incommodo occurrat.

Limites Ungariæ veteris, ac hodiernæ invicem contendentibus planum fit, non iisdem circumscriptam finibus olim, quibus hodie aperitur, terminaturque. Tempestate Divi Stephani ab oriente sole savo flumine, & Transylvania claudebatur; qua Occidentem spectat, ad montem Cetium excurrit, a Moravis amne Morava divulsa: ad septentrionem montibus Carpaticis, a Meridie Carentanis, & Croatis circumsepta: igitur quod Interamnensis Pannoniæ versus Croatas procurrit, serius Ungariæ accesserat; contra indidem avulsa, quæ Posonio ad montem Cetium plaga pertinet.

Terminos, ac amplitudinem Ungariæ hodiernæ supra exposui, neque intereſt, iterum referri. Igitur jam multiplicem ejus distributionem dissera m. Eam Danubius mediam prætervectus jure fluminum communi in citeriorem, & ulteriorem distribuit; ad hoc

hoc in Septentrionalem, Meridionalem, Orientalem, & Occiduam e legibus Geographiæ dispescimus: denique sectione novissima in Provincias, nobis Comitatus dictas, abit. Vocabulo Comitatus non ea apud nos subest notio, quæ in Anglia, Galliaque: illic urbs, oppidumve cum agro circumjacente titulo Comitatus insignitur, contra nostri passuum plura millia patescunt; de quibus jam pluribus agendum.

Regnum omne Geyza Principe patre Divi Stephani hunc ad modum distribuerant Ungari, quo ejus administratio facilior esset. Familiare hoc divisionum genus regnis plerisque: ac inde Circulos, Districtus, Gubernia, geographicæ chartæ passim exhibent. Comitatus apud nos alii quatuor & sexaginta numerant, plures alii, alii pauciores; nomen Provinciis singulis Ducum primorum aliquis, vel certe castrum notæ melioris imposuit; sed plurima horum injuria temporum versa, solam e priore fortuna appellationem retinent.

Ea-

Earum unicuique optimatum aliquis pro Rege moderator datur, qui e legum præscripto plebique, ac nobilitati jus reddat. Dignitas hæc in Comitatibus nonnullis a parentibus ad liberos successione manat : alibi penes Reges vis dicendi *supremos Comites*, ita Comitatuum Præsides appellamus. Appellatio hæc ortum inde trahit, quod Regem ad bella profectum cum provinciali milite comitari sint soliti.

Perpetuos Comites Comitatuum dicimus, qui prærogativam hanc ad liberos cum sanguine tramittunt; iidem fere latifundiis amplioribus gaudent in provincia, ubi hunc principatum obtinent.

Multum olim valuisse viribus hos Provinciarum Rectores, illud in comperto dat, quod Cupa id dignitatis, viriumque, Divum Stephanum religionis obtentu bello appetierit, & fortassis etiam debellaturus erat, ni Stephanus tempestive auxilia extera circumspexisset. Neque vero mirum istud, cum quot prærogativa nobilitari conspicuos, milites totidem censuerit Regnum,

gnum, qui ut domi jus accipiebant, ita si vis ingruit, a Rectoribus Provinciarum gentilitiis sub labaris in hosticum educebantur. Pollere enim vero Ungariam ordine equestri, nemo nescit; atque ex omnibus Europæ Regionibus unica Polonia in contentionem prærogativæ hujus queat venire.

Aulæ horum Dynastarum Palæstræ totidem artium elegantiorum erant, ubi sub idoneis præceptoribus juventus nobilior in spes patrias adolescebat; neque secius ornamento Comitis supremæ, simul formando corpori, fæmineus sexus isthic ætatem primam degebat. Quamquam nonnunquam longe aliter evenit, scilicet, ut hæc contubernia bonarum artium in officinas maleficiorum flecterentur, documento in ævum omne detestabili Castri Cseitensis. (b)

Rectores Provinciarum per multiplices curas ex equestri ordine deligunt, qui pro se potestate vicaria id muneris gerat; neque tamen hoc honore quisquam percolitur sine rogatione

(b) Ladisl. Turóczi in Ung. Occid.

ne nobilitatis, quæ eum ad finem accita, *e ternis Canditatis suo arbitrio* Vice-Comitem proclamat, ut cuiquam studet maxime. (c) Magistratus hic Judicibus Curiæ, quos Comitatus singuli habebant olim, videtur suffectus. Judices Curiæ *inter præcipuas muneris* sui partes numerabant, immunitates Provinciæ tueri, post ejus fructus Regis Ærario inferre; at hodie Vice-Comites jus Comitatui dicunt potestate vicaria. Cætus idem Provincialis peritissimum quemque legum domesticarum in Senatum Provinciæ adlegit, *Tabulam Judiciariam* appellamus. Minores Magistratus referre non vacat.

Cæterum prærogativas Vice-Comitum illud commendat cum maxime, quod reo primum apud hunc Provinciæ Magistratum dies dicatur. Judicatus hujus initia ad Andream secundum referenda videntur. (c)

Quantis hæc Tribunalia litibus perstrepant, tanta apud alios jurgandi libidine, necessitate alios ob justitium anno-

(c) Confer. legem ann. 1723. art. 56.
(d) Decr. 2. Art. 5.

norum eorum, quibus Ungaria domesticis, Turcicisque bellis ardescebat, colligere in promptu est. Quos labores, ac eorum pretia contendenti mihi mirum fit, tantulo munerari molem curarum infinitam, intento præsertim supellectilis omnigenæ pretio cum luxu, ad omnia prorumpente, quibus pecunia prodigitur. Sed nempe cum Republica apud nos adolevit, ut comoda publica, aut nullis, aut perquam modicis privatis curentur.

Distributionem Regnique, ac caput absolvat liberarum urbium brevis notio, quod Scriptoribus plerisque familiare, qui *regnorum eorum historiam* dant, quibus Civitates hujus prærogativæ. Nobis hoc nomine peculiare Regis peculium venit: amplectiturque Regnum urbes id generis quadraginta. *Pusillum oppido numerum! si quis referat animum ad Germaniam inferiorem*, quæ nedum dimidia Regni nostri portio, urbibus resplendescit longe frequentissimis. Porro sua initia *pleræque urbium liberarum* Regibus Domus Hunnicæ debent, quibus solen-

 ne

ne fuit, annos regni ſui civitatum conſtructione inſignire, illuſtri, & e memoria vetuſtiſſima inſtituto; namque demirator ille Semiramidis, & Cyri, mirandusque ipſe cunctis ætatibus, urbibus percolere Provincias, quæ ejus dominatum acceperant, in more habuit. (e)

Jamvero nonnullæ illarum e ruinis Coloniarum Romanarum ſurexerant; aliæ veſtigiis nullis eductæ. Syrmium, & Sabariam, Lugdunum, ac Viennam Pannoniæ fuiſſe comperio, opibus, bonis artibus, civium elegantia validiſſimas urbes. Sabariam etiam ſuper profana decora Magnus Turonenſium Præſul illic mundo datus attollit; Syrmium vero Conventus Præſulum terni, per ſpeciem integrandæ pacis ad fidem perdendam ea in urbe habiti. Nunc mortalitatis fato decore omni exutæ, ac vicis mutatæ, fortunam præſentem veteris gloriæ memoria levant, cujus late manent veſtigia.

Singulæ urbium liberarum, qui præcipuus honos, ſingulos, aut binos e Magiſtratu domeſtico ad Regni conventus deſtinant, qui juxta ordinem equeſtrem conſident, ac cum eo in commune conſulunt. Magiſtratus ipſe fere e civibus conflatur, raris in eum adlegi nitentibus, quos naſcendi conditio provexit altius, niſi penus arctior utilitatis partes potiores perſuaſerit.

(e) Alexand. apud Q. Curt. & Plutarch.

Tributa, cæteraque onera, quibus munimentis inſiſtit Respublica, haud gravate tolerantur liberis urbibus; neve hæc Regum indulgentia publicanorum acerbitate aſperetur, urbico magiſtratui integrum eſt, cenſus ſuo arbitrio agitare; attamen in eam formam, quam Senatus Comitatus deſcripſerit.

Quoniam vero civesque & Senatum agi in diverſum aliquando, pronum, & in aperto: huic quoque malo ſubventum eſt, dum e præcipuis Regni Adminiſtris Magiſter Tavernicus, atque is, qui ordini equeſtri Regem refert, Civitatibus liberis ſupremi curatores ſunt impoſiti.

En imaginem Ungariæ brevem; sed e qua confieri pronum sit, eam non Italiæ, non Galliæ, quasque alias Europæ Regiones demiramur, concessuram, si cum soli ubertate, & reliqua naturæ in eam munificentia numerus incolarum, & industria contenderent.

CAPUT SECUNDUM.

Recensio gentium Ungariam colentium.

Sæculo æræ Christianæ quarto, Hunni, superatis quantum terrarum introrsus Pannoniam, & Scythas patescit, ex ultima Asia in Pannoniam evadunt auspiciis, & ductu Balamberis Regis. (f) Hæc ætas abs re nulla illustrior est, atque a gentium migrationibus. Sæcula abierant, quibus suæ sedes populo cuique, utut terris informes, & cælo asperæ, super Italiam, ac Gallias erant, alteras ditissimas, alteram terrarum cultissimam ea tempestate orbe toto.. Arma si quæ uspiam per-

(f) M. Joan. Thurocz Part. 1. Chron. c. 10.

perstrepebant, non nisi cupidine imperii proferendi movebantur. At enim sæculo hoc vergente, quasi signo sublato, septentrio omnis novarum sedium consilia agitare, Romani Imperii claustra perrumpere, lætiores Provincias insidere. Inopia septentrionis, sors lætior vicinarum Provinciarum, demum numerus incolarum ex plurium conjugum usu incredibilis, mutationem persuaserant. Fuisse enim veroterrarum populosissimum septentrionem memoria Patrum, Cimbri, Gothi, Longobardi inde egressi, luculentum indicium. Altera ævo nostro facies ejus: quanto hominum minus, tanto & desidiæ; detersaque alibi soli informitas industria incolarum, alibi terrarum infæcunditati itum obviam; ut adeo cultioribus accensenda hodie veniant, quæ in septentrionem vergunt, Regna Europæ.

Cæterum antequam destinata aggrediar, repetendum videtur, quis Europæ habitus Hunnorum adventu, quid ubivis validum, quid ægrum fuerit, ut non modo casus, eventusque rerum,

 qui

qui fere congruunt, & authoribus duntaxat ſublatis, ſimiles uſque in orbem revertunt; ſed ratio etiam, cauſæque noſcantur. Penes quos ætate hac humani generis regimen, plerique natura, aut ſtudio vitiorum vecordes; quidam cum Sanctuario ſe inconſultius inferunt, Imperium, & Eccleſiam in præceps adducunt. Ab obitu Conſtantini Magni res Romana retro agi, ac fluere, & quamquam validos Principes ex intervallo laboranti Reipublicæ Numen providum concederet, quorum virtute vigorem priſtinum receperit; attamen occulta fati lege, an quia novis Imperiis initia, cauſæque ſtruebantur, Imperii Romani fortuna ſeneſcebat.

Quæ cogitanti mihi Monarchia orbem, qua patet omnem complexa, iis humanæ mentis ſimulacris accenſenda videtur, quæ vim ejus ac anguſtias declarant ex æquo. Etenim, ut num referati terrarum fines ultimi, termini in immenſum prolati veteris orbis, animum humano majorem eſſe oporteat, qui & Americæ tesquis, & Aſiæ, Af-

fri-

fricæque vaſtiſſimis tractibus vim, vitamque impertiat, ac denique, quod unum omnium laborioſiſſimum, callidas Europæ gentes temperet.

Si Monarchiam univerſalem terminis Europæ circumſcribas, nihilo plus agas. Et quamquam, quæ olim enixa Auguſtos, Trajanos, Conſtantinos, iterare hæc ſua miracula natura valeat; attamen ecquam diuturnitatem Monarchia hæc talis ferat, rara tantorum nominum procreatione, quæque ſæculo vertente vix ſingula hominum generi concedantur. Sed me veterum, novorumque reputatio longius tulit, jam in ordinem rerum reverto.

Talis erat Imperii utriusque facies, cum Franci, Gothi, Hunni, examina populorum propemodum infinita, quaſi communicato conſilio Imperio Romano ſeſe infundere, ac futuræ magnitudini ſeu Romanarum, ſeu Byzantinarum legionum cladibus præludere. Singulorum proſperis, vel adverſis dicendis non defuere decora ingenia, quorum exemplis conſilium mihi, res domeſticas veſtigare.

Regionem, quam Ungariam dicimus, primi mortalium quod ſcimus, tenuere Pannones; nominis origo in obſcuro eſt: hos ſolum vertere Hunnus, aut ſuum accipere dominatum cogit. Quænam Aſiæ pars, nam Aſia egreſſos in aperto, Hunnos emiſerit; id enim vero eſt, quod diſquiſitiones ad hoc temporis inſtitutas ludit. Scriptor rerum Ungaricarum noviſſimus, idemque elegantiſſimus Georgius Pray e S. J. (g) ſecutus Degvineſium, (h) Hunnos e Tartaria illa profectos exiſtimat, quæ Sæculo ſexto decimo exeunte, transcenſis Imperii ſinici clauſtris, rerum apud Sinas potita eſt. Primordia enimvero illuſtria! dummodo ne pro vero veri ſpeciem nobis Degvineſius obtruſerit. Apage enim commentitias hypotheſes, magno numero in omni literarum genere occurſantes, quas ubi diſpendiis temporis maximis perdidiceras, tum enimvero te vocabula re inania pro ſcientiis arripuiſſe comperies. Interim ſit authori, de bonis ar-

(g) Annal. Vet. Hunn. Avar. & Hung.
(h) Hiſt. Geuerale des Huns, des Turcs, des Mogols, & des autres Tartares Occidentaux.

artibus, deque Patria noſtra mereri adnixo, ſua laus, ſuus honos, dum aut firmitatem a tempore majorem hæc novitas accipiat, aut male nixa ſponte vaneſcat. Attamen quoniam ea res agitur, uti aperiam, quid ſit, quo prohibear, ut ne in hanc ſententiam diſcedam, ſine ira, aut odio, quorum cauſas procul habeo, dicam.

Quo minus Degvineſio accedam, talibus de cauſis avocor; ſcilicet quod norim, luſtratum toties Europæis vaſtiſſimum ſinarum Imperium, omnemque, qua ſinica eſt, Tartariam, neque ſubſidii quidquam ulli præterquam Degvineſio erutum e Bibliothecis Gentium illarum, unde confici queat, e Tartaria Sinica egreſſos Hunnos. Sane neque Cardinalis Tournonius, neque Illuſtriſſimus Mediobarbus, (i) Aulæ Romanæ ad Sinarum Imperatores Legati, quidquam prætermiſerant, quo aliquid doctarum mercium a finibus terrarum ultimis adveherent, unde res literaria Europæ aliquod acciperet incrementum. Ad hoc; quod dubita-

(i) Memoires de la Chine.

tationem intendit maxime; sæculis duobus novissimis, scilicet ex quo Imperio Sinico Religio Christiana illata est, pluribus diversorum institutorum religiosis viris patuere Bibliothecæ Sinenses: quid? quod nonnulli eorum e Sinico in sermonem Europæum libros complures traduxerint; neque originis Hunnicæ commeminere usqpiam; quam Degvinesius e scriptis seu Sinicis, seu Tartaricis sese eruisse profitetur. Nihilominus si authori huic gloriam istam reservarant faventes Superi, ut multa ætas postera eduxit, in quæ ne cogitatione superiora tempora valebant assurgere, parvas adde moras, & in luce ponetur ampliore Cl. Authoris de origine Hunnorum opinio. Jam cæptis juvat instare.

Hunnos semel ac iterum Europam ingressos, primum Balambere duce, post auspiciis septem Ducum, pro explorato est. Sextus a Balambere imperii gubernacula obtinuit Attila, qui rerum gestarum fama, & virtute antecessores suos longissime anteiit. Rex Attila sæculis iis, quibus Scientiæ in squallore Gothi-

thico, & sordibus jacebant, fama imprimis laborabat; at enim ex quo suus bonis artibus squallor detersus, fama ejus in integro est. Coarguebatur nempe a Conditoribus Chronicorum, ultionem in scribendo non fidem professis, criminum fœdissimorum corporis, animique dotibus spectatissimus Princeps. Vindicias has scilicet imperaverant proruta templa, versa Monasteria, mors, vastitas, terror late circumlatus; quæque cogitare pronum in milite, novæ potentiæ avido, & a sacris Romanis alieno.

At multum diversis coloribus expingit Attilam Priscus Rhetor, (k) quo attestante ei inerat come ingenium, modestia incredibilis etiam a parta victoria, frugalitas nedum in Principe, sed apud Proceres vix obvia; nam convivis paratu regifico apud se epulantibus, ipse nonnisi fictilium ministerio utebatur. In animo tot honestamentis perculto crudelitas, avaritia, intemperantiaque nequaquam gignitur. Porro Prisci potiores in hoc ar-

(k) In Excerpt. Legation. apud Cl. Belium.

argumento præ conditoribus Chronicorum partes esse, id primum afferit, quod Prisco Attila nec beneficio, nec injuria cognitus: itaque & sine odio, nec cum amore dictus. Ad hoc Theodosii Junioris ad Attilam legatus, vel ut aliis placet, Maximini Legati interpres, mores ejus altius introspexerat, ut genus hominum istud specie honoris summi arcana Principum, ac abditissima quæque Aularum speculantur. Quidquid sit, ut maculis nonnullis fuisse aspersum summum hunc virum concedam, quemadmodum vulgo eminentior virtus parte sui aliqua obumbratur; certe quidem hodie Attila communibus scriptorum suffragiis heroum syllabo adscribitur. Tali viro gente validissima succincto negotio nullo dominatus Hunnicus proferendus, & seu veteris, seu Romæ novæ Imperatores parte aliqua solii demovendi erant. Unam Pannoniam, an majora animo præceperit Attila rerum potitus, neque confirmare argumentis, neque refellere, in animo est, ex ingenio quisque suo addat, vel demat fidem: certe ambiguam ea tempe-

sta-

state utriusque Imperii fortunam, simul vires suas respectans, Europæ Imperium spe præsumere poterat. Deinde sæculum hoc virtutum clararum sterile, unum Aëtium prodidit, qui fortunam Attilæ moraretur; eo vero a Catalaunica victoria Maximi Patricii artibus circumvento, nemo unus orbe toto superabat, qui ejus consilia interciperet. Talis vero fuit exitus Aëtii. Ab Galliis redux in societatem conjurationis adversus Valentinianum a Maximo Patricio, dudum Cæsari clam infesto, nequidquam illectus, reus peragitur criminis, quod constantissime abnuit, damnatusque per nefas summum, interficitur. Post paulo patuit, resectum nece hac præcipuum Valentiniano subsidium. Nam submoto Aëtio Maximus audentior factus, Cæsarem aggreditur; hactenus ambiguus, veneno, an ferro graffaretur. Sed quoniam insignia facinora cum promptitudine suscipiuntur, operis executio in arduo est; an quia vita Principum peculiari cælitibus curæ, Maximus tantis impar ausibus, perfidiam adversum Principem, nece etiam Aëtii aggeratam, ultimo supplicio exolvit.

Cæterum bellum agitanti Attilæ opes Germaniæ, Galliæque, materies bello visa idonea. Noricum inde, ac mox reliqua Germania millium sexcentorum exercitu vastatur; neque alia sors Galliæ futura erat, ni Campi Catalaunici docuissent, Attilam vinci posse.

Campos hos Bonfinium secuti Scriptores nostri fere omnes apud Tolosam frustra vestigant. (1) Catalaunum, in cujus agro debellavit Aëtius, olim Belgicæ secundæ, Campaniæ hodie urbs est, patrio sermone *Chalons sur Saon*, dicta. Redux in Pannoniam Attila ultionis cupidine, simul spe connubio potiendi Honoriæ Valentiniani Germanæ, quod ipsa clam fratre ardenter expetiverat, paratus præquam alias maximos bello instruit: ac mox Aquilejam, ultimum Italiæ propugnaculum adversus Dalmaticos, Pannoniosque motus adoritur, alte confirmans, non prius se abscessurum, quam validissimam urbem ab imo subrueret, probe gnarus, ut prima tentamenta ab accepta clade provenissent, famam in

(1) Bonf. Dec. 1. L. 7.

in cætera fore. Nec minus fortiter destinata perficit, quam animo intenderat: providentia, consilio, ac si res ferret, manu Ducis, militis obire munia, exemplo prorsus e veteri memoria. Victa demum obsidio triennali civium constantia, Aquilejæ potitur, quam urbibus cæteris terrori funditus evertit. Dehinc in Italiam victorem ducit exercitum, in capite suo Romanum Imperium tentaturus; jamque Roma paucorum dierum iter aberat, cum præter omnium opinionem Sicambriam remigrat.

Multi sunt scriptores in vestigandis causis, quæ mutationem adeo repentinam persuaserint: ac plerique quasi armis abjectis, ac desperabundi ad ostenta, nescio quæ, perfugiunt.

Redux ad suos Attila fato propero metum sui gentibus exteris exemit. Funestus plane tanti Regis obitus accidit Hunnis; genus vero mortis etiam morte ipsa acerbius. Nocte prima nuptiarum, quas imprimis solennes egerat, ducta in uxorem verisimiliter Hildegunda filia Herrici Regis Francorum,

rum, (m) qui Nicrum amnem accolunt, (n) rupta pectoris vena magnam animam cum multo sanguine dedit. Princeps expertus belli super omnes ævi sui Principes, justitiæ idem amantissimus, comis, munificus, paucis, dignus arbitrio Europæ, atque etiam fortassis olim arbiter, ni mors fato propera intercessisset meditatis. Ipse, si vitia ætatum superiorum licet referre, ut certe licet, posteris documento, præter Religionem, & meliorem tot præliis causam, Aquilejam, totque alias urbes nobilissimas funditus eversas crimini do; nisi quis velit harum urbium excidia Capuæ, Carthaginis, & Corynthi eversione elevare; (o) sed enim, si lubeat illustria facinora illustriorum commemoratione excusare, vix ulla orbe toto scelera admissa deprehendas.

Scriptoribus plerisque proditum est, mortem Attilæ, Martiano Augusto secundum quietem symbolo arcus fracti significatam, quæ multis tradita, ut

(m) Aventinus Annal. Boic. lib. 2. (n) Vales. Rer. Francic. lib. 4. (o) L. Florus de Gest. Rom. cap. 15. 16.

ut nolim inficiari, ita mirum videtur, sapientissimum Numen adeo festinanter eventi hujus admonuisse Martianum, cum alioqui Sicambria Constantinopolim paucos intra dies excessum Hunni Principis rumor allaturus erat.

Mors Attilæ res Hunnorum a clade Catalaunica fatiscentes prorsus afflixit, ut adeo graviorum formidine Scythiam repetierint, manubiis Germaniæ, Galliarum, ac Italiæ onusti. Attamen res labefactæ nullo negotio erigi poterant, si mox a fatis Attilæ novus Princeps acclamatus fuerat. Sed eadem fortunæ malignitas, quæ adeo intempestive Attilam sustulit, de novo Principe solicitos exercitus distraxit. Accidit igitur, quod item a fatis Alexandri Magni, dum quisque sibi depascitur Imperium, nemo nisi mutilum pluribus partibus adeptus est.

Multi nostrorum volunt, Hunnis parte potiore remigrantibus, manum modicam eorum in Dacia Mediterranea substitisse, quorum posteri Alpium Moldavicarum Accolæ, hodie Siculi, nobis *Szekelii*, audiant. Sed profecto

 hæc

hæc opinio abludit a vero; quis enim credat, parte potiore ſolum patrium *repetente*, manum exiguam conſediſſe in Regione, perinſeſtæ ſibi genti Slavicæ habitata? propius vero eſt, gentem hanc Cumanæ, atque adeo Hunnicæ originis, transcenſis Alpibus in Tranſylvaniam ſe penetraſſe ex Cumania; nomen vero Siculorum eidem inditum, quod pro cuſtodibus eſſent Cumanis reliquis in Moldavia, Blachia, ac hodierna Beſſarabia degentibus; nam cuſtodes Cumana lingua *Szekelii* appellantur. (p)

Commoratio reverſis ad informes Scythiæ plagas poſt Italiæ, Germaniæque deguſtatas opes eſſe diuturna haud poterat, ſi in unum tribus Hunnicæ coaluerant; ſed enim nonniſi ſero admodum poſito æmulatu pax rediit, qua coalita, primo ac tercenteſimo a fatis Attilæ anno Scythia de integro excedunt, non iterum redituri.

Per iter majoribus ſuis quondam penetratum, apertis, quæ vetuſtas obſeplit, in Daciam, ac mox Pannoniam evadunt auſpiciis ſeptem Ducum, debel-

(p) P. Timon in Additament.

bellatoque, qui id temporis apud Slavos rerum potiebatur Zwentibaldo, vulgo *noſtris Svatoplugo*, *Regni poſſeſſionem* ſtabilem ineunt. Atque hæc ſunt initia Hunnici in Pannonia dominatus, & putandorum annorum limes.

Poſtremum hunc Slavorum Regem ſcriptores domeſtici odio gentis eo vecordiæ prolapſum memorant, ut ſceptris quibusvis admotus, eadem in abruptum traheret. Proinde cælum ipſum in aliam gentem Regnum Slavorum traductum ibat, dato Principe, re nulla, quam appellatione Regis commendabili; ſed profecto, qui res horum temporum literis accuratius conſignarant, Zwentibaldum longe præſtantiſſimum Principem fuiſſe ſcribunt; neque victum ab Hunnis aliter, quam quod ſæpe virtutem numerus obruat. Slavi vero æquo camporum dejecti juga montium inſederant; neve ullo veſtigio fortunæ veteris admonerentur, in gentem, & nomen imperantium conceſſere.

Cum fortuna Imperii ipſa Regio novam appellationem accipit dicta

 Hun-

Hungaria. Origo nominis neque a castro Hungu, (q) ut vult Belæ Quarti anonymus; neque a Duce cognomine, sed a novo populo, nempe Ungariis, ita enim in nummis primorum Regum impressum legitur, repetenda videtur, notaque aspirationis primum Stephano Secundo regnante præfixa. (r) Sed jam indolem gentis paucis dabo.

Indole præfervida fuisse Hunnos nemo negarit, quisquis animum ad posteros, fidelissimam majorum imaginem, retulerit: acerrimos eos militiæ tot parta bello decora, stabilis in Pannonia dominatus commonstrant. Neque dispar posteris indoles; nam quotquot veterum Hunnorum sanguinem cum vita accipiunt, peracri ingenio pollent, qui fervor indolis genere alimentorum, ac ardore cæli animatur amplius etiam. Atque hæc temperatio fervidior scriptoribus Italis, ac Germanis visa idonea materies, Ungaris ingenia turbida tribuendi. Ita a natura instituti cum sint, nemo eos armis exercendis negaverit idoneos; quin

(q) Cap. 13. (r) Vide Diplom. Geyzæ 2.

quin exinde, quod ingenio peracres, pronum conjicere, artibus in quibus vis subsellii non infimi honorem facile consecuturos, si apud eos honos Minervæ idem, qui Bellonæ haberetur.

Tantum terrarum spatium, quantum regnum amplissimum amplectitur, tenebant verius, quam implebant Ungari omni retro tempore; neque ducta a priscis usque temporibus serie, eo numero censuit incolas, quot ejus fæcunditas sustinere norat. Vastissimi terrarum tractus armentis frequentabantur ingenti Reipublicæ detrimento, cujus præcipuæ opes civium numerus. Intellexere istud, qui unquam veram Politicen norant Principes, atque eo pertinuit pars maxima curarum, ut civibus frequentissimis Regna subdita haberentur.

Numerosissima Gallica gens utut sit, attamen Ludovici quarti decimi (s) lex immunem onerum publicorum præstat, qui denis liberis sexus virilis Rempublicam auxisset. Carolo Quin-

(s) Siecle de Louis 14. Tome prem. Chap. 27. par M. de Voltaire.

to rerum potiente leges ſcilicet ponebat Hiſpania Europæ; enim vero defluxerat, ex quo in Americam, Aſiamque, & Affricanas Inſulas deductæ coloniæ frequentiſſimæ; neque ejus honori veteri reponendæ ratio certior viſa eſt Cardinali Alberonio, quemadmodum in teſtamento ejus legitur, (t) quod profecto nequaquam Criſpinus quispiam viro huic rerum Hiſpanicarum peritiſſimo ſuppoſuit, ut a tanto nomine fætui ſuo lucem mutuaret, quam ut accitis ab Illyrico, ab Græcia, & Germaniis populorum examinibus deſerta Legionis, & Andaluſiæ implerentur. Neque eſt, quod quisquam reformidet, fore, ut eum ad modum increſcat hominum numerus aliquando, quo iis olim alimenta defiant. Nam qui ſtudium naturæ vel a limine ſalutarat, probe novit, provide adeo authorem naturæ ſingula inſtituiſſe, ut nemo unus ſeu hominum, ſeu brutorum animantum fame necaretur, ſi ſubſidia colligendis alimentis conceſſa, in uſum verterentur. Cogitanti mihi, ec-

(t) Examen du Teſtament Politique du Cardinal Alberoni par M. de Voltaire.

eccur hanc Reipublicæ partem majores noſtri negligentius habuerint, hæc fere occurrunt. Quod nempe multi falſis opinionibus in transverſum acti, reputarint, magis e Republica fore, ſi armentis, gregibusque ampliſſima inferæ Ungariæ ſpatia oberrentur, præquam ut vicis, oppidisque percolantur: huc accedunt crebræ contagii graſſationes ex proximo Turciæ, cui quidem malo jam Principum noſtrorum providentia occurrit. Denique tot bella ſeu extera, quæ fere ſoli adverſus valentiſſimos æmulos per quatuor ſæcula ſuſtinuimus, ſeu domeſtica, in quæ Regnum revolutum identidem poſt deteſtandum Cupæ exemplum, eum ad modum acciderant gentem alioqui minime numeroſiſſimam, ut Regionis amplitudini numerus Civium nunquam reſponderet. Profecto vel partium ultimarum duces, quorum exercitus fere e ſolis Ungaris conflabantur, gentibus cæteris, quibus jam tunc regnum colebatur a belli ſocietate excluſis, (u) tantum popularis ſanguinis hauſerant, quantum non

(u) Memoires du Prince Rakoczi Tom. 1.

non ager Catalaunicus, non Augustanus, non Varna, non Mohacsium, infausta cladium domesticarum monumenta.

Pace inde anno Sæculi hujus undecimo partibus data, quæ studio potissimum Joannis Palfii herois omni late Europa spectatissimi coaluit, a regionibus exteris coloniæ accersendæ erant, vel certe supplementa a superæ Hungariæ Provinciis deducenda.

Nec refert, peregrinis ab oris cives novos accersas, an indigenis viduos cultore agros exercendos tradas. Etenim vinculum connubiorum, quod unum omnium maxime jungit animosque & corpora, alioqui post paulo diversas origine gentes in unam nationem coget. Qui hodie Gallias colunt, e Francis, Germaniæ populis, ac Gallis veteribus: moderni Itali in gentem unam ex Ausoniis, Gothis, Longobardis, Venedis, ac Svevis coaluerunt. Igitur compositis civium discordiis, anno, quem supra appellaveram, Slavi veterum Pannonum reliquiæ, ac Avares, qui licet tribus Unga-

gara, in mores Pannonum e promiscua consuetudine immigraverant, ad æquiores Regni plagas descendere permissi, cum antea Provincias fere informiores coluissent. Gens hæc per quam industria est, ac frumenta, & fructus cæteros fere patientius Ungaris laborat. Eadem ex veteris fortunæ memoria, an quia victoribus habetur despicatius, nominis Ungarici minus studiosa; nisi hæc mutua rivalitas, atque animorum dissensio a rituum, & sermonis diversitate ortum habeat, ut arbitror equidem. Provinciæ Moravis, ac Poloniæ conterminæ Slavis fere habitantur, quamquam & in cæteras Regni partes jam sese penetrarint.

Austriæ ac Styriæ adjacentem plagam a Germania profecti cives tenent. Ferdinando secundo regnante quicunque in hæreditariis Domus Austriacæ Provinciis Romana sacra exuerant, solum vertere, aut eadem resumere sunt jussi. Quibus soli Patrii dulcedo subter libertatem sentiendi, sedes novas in Ungaria reperiunt, ubi jam

jam tum Proteſtantibus jus civitatis ex legibus pacis Bocskajo datæ. Cæterum Germanicæ coloniæ non tunc primum in Ungariam appulerant. Ab ipſo primordio frequens Germanus Regnum habuit artium cauſa, quas nunquam majores noſtri pro dignitate æſtimaverant.

Certe vel divo Stephano Rege pars magna eorum, qui ſuppetiæ adverſus Cupam advenerant, in Ungaria poſuere domicilium: & Stephano altero magna Saxonum manus ad colenda metalla accitur, quorum Principum exemplis ipſi hodie ab Rheno, Mæno, ac Viſurgi adeo novos incolas accerſimus.

Cumani Patzinatzitarum genus, ac proinde tribus Hunnica, Stephano ſecundo imperante cum Duce ſuo Tataro Hungariam intrant; Bela quarto Rege novis aucti ſupplementis. Sedes iisdem obvenerat, Danubio, & Tibiſco intercepta plaga, ultra opportunitatem horum fluminum a ſoli ubertate, & paſtionis magnitudine commendatiſſima. Romanis ſacris ſub Andrea

drea ſecundo initiati ſunt per Archi-Præſulem Strigonienſem Lucam Banſium non vulgaris Sanctimoniæ virum. Sermo vernaculus Cumanis Ungarus eſt, utut aliquanto diverſus ab eo, qui in reliquo Regno obtinet. Immunitates ſuas Geyſæ ſecundo, & Belæ quarto in acceptis ferunt, quæ ſubinde pro temporum viciſſitudine auctæ, minutæve. Magiſtratus genti huic ſupremus, Palatinus Regni eſt, quem Judicem ipſi pro Palatino ſalutant.

His accedunt Jazyges, a Metanaſtis, qui genus Sarmaticum, omnino diverſi, ac Jaſſi melius a cognomine Principe (x) nuncupandi; ſunt vero Jazyges noſtri Cumanæ gentis tribus. Regnum ingreſſis Provincia Heveſienſis obvenit, quam hodiedum tenent. Immunitatum facile princeps ea, quod onerum publicorum liberi ardente bello ſtipendia faciant. Prærogativa hæc Jazygibus ac Cumanis juxta communis eſt; manſitque illibata ad tempora illa, quibus Ungaria in ſemet arma converterat; ſed jam profligatis civium

(x) P. Timon Imag. vet. Ung. lib. 1. cap. 3.

vium bellis, ac partibus Reipublicæ singulis pristinæ fortunæ redditis, suus etiam vigor rediit immunitatibus Terræ Jazygis; nam Augustæ hodie imperantis voluntate veteri instituto mereri militiæ permissi sunt. Regni Palatinus inter reliqua honorum vocabula Judicatum gentis Jazygis recenset. Gens utraque nunc dicta in mores, & nostram indolem penitus immigravit.

Denique Illyrii ultra nationes, quas dedimus, Ungariam colunt. Hi e diversis Illyrici Provinciis Turcarum armis valescentibus egressi, oram, quam Danubius, Dravus, ac Savus præfluunt, insederant, subinde & in alias Regni plagas fusi. Primæ Coloniæ Illyricæ Sigismundo Rege Regnum subiisse videntur, atque Insulam Csepeliam insedisse: idem Rex, quod sciam, primus omnium Rascios immunitatibus percoluit, quæ Successorum Regum benevolentia incrementum ingens acceperant. Gens Illyrica omnis ritu Christiano initiata est, & a Protestantibus prorsus abhorret; ipsa ta-

tamen Romanæ sedis Principatum respuit, ut in lege Christiana ratio dissidiorum multiplex est. Cæterum plerique ruri dant operam, aut fluminum opportunitate illecti, mercaturam faciunt.

Id in gente hac mirari subit, quod plerique, quatenus ritu Ecclesiæ Byzantinæ Rem Divinam peragunt, sermone Græco valeant, quem Thessalonicæ, Philippopoli, & Athenis arripiunt.

Equidem existimo, hæc Græciæ veteris monumenta e sententia suorum Præsulum ipsis peti, quo Photium, ut incautius, ita altius biberent intra primam juventam. Quis enim Græciam hodiernam causa studiorum petat, ubi lingua Attica omni exuta elegantia, raucisque Turcarum vocabulis horrens, quam sibi dissimilis sit, dialecti utriusque contentio commonstrat. Indolem quod spectat, Illyrii hominum genus versatile, ac bellis Turcicis modo huc modo illuc prout belli fortuna inclinaverat, facile conversum.

Sub-

Subjiciendi his Rutheni, gens & ipsi Illyrica; eam vero non e Turcia Europæa; verum e Gallicia, ac Lodomeria profectam opinor. Sermonem, indolem, ritus cum cæteris Illyriis communia habet, quod luculentum indicium ortus ejusdem; proprium vero sibi illud, quod literas Divi Cyrilli usurpet.

Gentis Ægyptiæ vilitatem, ita se compellant Zingari nostri, dignitas historiæ erubescit. Hic furum manipulus per omne Regnum spargitur: Caroli Augusti edicto Austriæ finibus in ævum omne coercitus est; Turciam, Poloniam, atque Ungariam colit, & deformat. Ipse, si sensa mea promere liceat, neutiquam Regno, alioqui minime frequentissimo, hoc hominum genus exigendum censeo, verum partem benevolentiæ Regiæ eis impertiendam, quo in homines transformentur.

Gentes has negotio nullo discernas sermone, cultu, oris, & corporis totius conformatione. Diversitas hæc æmulationem, gentibus in promiscuo agen-

agentibus familiare malum, cum maxime intendit: quodque unum omnium inconsultissimum, Ungarus singulas pro exteris habet, immemor, ut ex se primores, ita sibi ex his legi supplementa; jam vero e membris discordibus invicem quodnam confiet, nisi male cohærens corpus, & in partes iturum, quavis vi propulsum. Quod porro hinc colligas, illud est, mutua civium odia adversum bella domestica pro munimento esse validissimo.

At certe & olim Romanorum instituta suapte arripuisse Gallias, summus authorum Tacitus refert, & hodie in mores Gallorum imigravere, quas gentes Rhenus præfluit. Quid ita? Romana elegantia veteres Gallos, comitas hodiernis Gallis propria virtus Rheni accolas, ut moribus eorum vellent imbui, facile pellexit.

CAPUT III.

Linguarum varietas.

Pannonibus sermonem Slavicum fuisse domesticum, ut gentibus, quæ

Da-

Danubio, ac Albi interjacentes regiones tenuere, nequaquam ambiguum; at enim ultra hunc alia item valuiſſe idiomata in Pannonia, ut Regio hæc neque labii unius unquam erat, neque unam gentem ampleĉtebatur, pro explorato habeo.

Nunc ſermo apud nos, ut in regione compluribus gentibus habitata multiplex obtinet, nempe Ungarus, Germanus, Slavicus, Illyrius, & Valachus. Hebræum idioma, quod populus hic civitate apud nos donatus minime fit, interſerendum non judicavi.

Sed enim inter has adeo multas principatum facile tenet Romana lingua, quam ab ipſo Regni initio ſingulæ Curiæ adoptaverant. Principum Reſcripta, Magiſtratuum conſtitutiones, non alio quam latio ſermone conſignabantur, pauca ſi demas primorum Regum Diplomata, græce ſcripta. Sed nempe a gentibus exteris in jus vocamur, ut ſi in barbarum detortum, atque ab ævo Auguſtæo omnino degenerem promamus: equidem, fatebor enim, ſuperioribus ſæculis, ignoratione late ob-

obtinente, Latio minime honorum valuiſſe: ſcatent mendis vetera Reſcripta. Sed jam profligata ignorantia, etiam ſermo latius dignitatem ſuam recepturus videtur. Eccur autem majores noſtri peregrinum hunc præ domeſtico coluerint impenſius, id fortaſſe cauſæ ſubeſt, quod idem Romanæ Eccleſiæ, quam rebus in omnibus æmulari connixi, proprius ſit: poſt, idiomate iſto, cui ætates ſuperiores honorem ampliorem habuerant, quam noſtrum ævum, quaſi nota quapiam nobilitas, & qui literas coluerant, a *vulgo ſecerni volebant.* *Conjectura* hæc non ex vano eſt; enimvero familiare hoc, & in more poſitum gentibus omnibus fuiſſe cunctis retro ætatibus comperimus. Quis neſcit, Romanos jam rerum Dominos linguam Atticam eapropter arripuiſſe? ſæculo vero, quod agimus, qua alia de cauſa Gallicam condiſcimus?

Sermo Regni vernaculus, ut origo gentis, hactenus in obſcuro eſt, quod incertum omnino, ulline is præterea genti orbe reliquo toto proprius, ac

 do-

domesticus; certe disquisitiones ea super re identidem institutæ vota nostra ad hoc temporis non absolverant. Equidem novi, persvasum multis nostrorum, compluribus Asiæ gentibus, qua in septentriones vergit, promiscuum nobiscum sermonem hodiedum esse. Verum si hi animum referant ad vestigationes rei hujus magno numero factas, cum primis ex quo e Russia ad Sinas apertus aditus, haud video, qui rem adeo novam imbecillis nixi argumentis assertum eant; nisi forte, quod ore profitentur, aliis persuadere contenti, ipsi apud animum in alia longe abeant.

Cæterum illud in aperto est, nulli idiomati cum Ungaro convenire omni late Europa, Turcicum si demas; at vero hunc nostro affinem sermoni, & Lexicorum linguæ utriusque contentio, & luculentum illud dat, quod vero proximum, gentis unius binas tribus esse Ungaros, & Turcas. (y) Nec hujus asserti ergo me quisquam in jus vocabit; quis enim religionem, & artium

(y) P. Pray Anal. Vet. Hun. Avar. & Hung. part. 3.

tium despicientiam si demat, Turcarum nobilissimam gentem esse inficiabitur? Atque hoc plane est, quod difficultatem originis Hunnicæ maxime intendit, cum in comperto sit, linguarum affinitatem, veri eatenus eruendi, clavim optimam esse. Jam vero idioma Ungarum venustas gravis quædam, & Matronalis commendat; neque dubitationis quidquam datur, idem ad elegantias quasvis traduci facile posse, si exterorum exemplo virorum eruditorum societates constituerentur ad illud percolendum.

Germanum sermonem nunquam peregrinum in Ungaria fuisse, id documento est, quod artes Ungaris semper negligentius habitæ; indeque artium causa Germani Regnum omni retro ætate frequentaverant: deinde Budensis Paræciæ Templum sæculo duodecimo ineunte excitatum, ab ipso suo initio nationi Teutonicæ, sacris ritu suo, & lingua habendis, destinatum erat: denique Alberto Rege Germanos inter, ac Ungaros coorta diffidia in urbe Regni principe, frequen-

 ta-

tatam Germanis Metropolim hanc, dant in comperto. Jam vero tempestate hac funditur latissime, ad omnes Regni Provincias pervasit, quin, vix urbecula uspiam Regno toto, quo se non penetrasset sermo Teutonicus.

Pannonum & Avarum reliquiæ linquam usque Slavicam retinent. Mirum sane per novem sæcula, totidem enim ab altero Hunnorum e Scythia egressu fluxerant, sub dominatu Ungarico illibatam eam mansisse; nec modo istud commendationem ejus absolvit, amplius id est, quod idioma hoc usque eo fusum sit Regno toto a pace NagyKarolienſi, ut imperium cum Germano post paulo videatur omni late Regno obtenturum.

Lingua Illyrica in plures secta dialectos domestica populo cognomini, qui e Rama, Bosnia, Servia, Galliciaque temporibus diversis semet Regno intulit. Propria ejus [illegible] ea est, quod una omnium latissime dominetur; namque a mari Adriatico ad Pontum Euxinum, indeque ad extimam Europæ oram funditur; ac proinde Illy-

lyricum omne, vastissimum Russorum Imperium, Poloniaque, ac pars Ungariæ, & Germaniæ sermonem Illyricum promit.

Valachum idioma a cognomine Principatu cum familiis numerosis ad nos se penetravit; linguam Romanam, quam pro parente habere vult, aliquantum refert; cætera a solo nativo traxit.

Ifthinc vero jam colligere pronum, quam sit arduum, facere per Ungariam iter, aliis ex aliis occurrentibus gentibus, ritibus, linguis, ut vix aliquot passuum millia emensus, novam tibi regionem ingredi videare. Ad hoc quis labor est, tam multiplex idioma arripere? enimvero arripienda illis, qui muniis Reipublicæ præludunt; ut incommoda cætera, quæ tanta linguarum varietas adfert, silentio tramittam.

CAPUT IV.

Morum diversitas.

Genus sermonis adeo multiplex, res sola non est, quæ diversitatem

 apud

apud nos absolvat; vestimentorum, ac rituum genti cuique propria, ac adeo diversa ratio, novum mutuæ rivalitatis fomentum est. Genus vestimenti, quo Ungari accingimur, notius omni Europæ, quam ut id ob oculos lectori ponere, necessum sit. Attamen annotare libet, hodiernam vestis patriæ formam partibus multis aliam esse, quam quæ majoribus nostris in usu: dum fluentia constrinximus, laxavimus eum ad modum coërcita, uti gradientibus pro impedimento essent, omnino resecuimus quædam, addidimus alia, ut collo, capitique sua seu ornamenta, seu tegmina.

Ungarum in morem e gentibus supra recensitis Cumani, Jazyges, Slavi, Illyrii, ac Valachi induuntur. Ægyptiis algoris, & quarumvis aëris injuriarum tolerantia pro indumento; decori leges, ut in populo honesti omnis experte, locum apud eos non habent: fitque, ut propemodum nudi oberrent non vicatim modo, oppidatimque, sed & urbibus se inferant, proh pudor! Huttentoticum in morem.

Germanus vestimenti genus gentile nunquam mutarat nostro; quin suo exemplo longe plurimis popularium nostrorum persuaserat, ut sive Principibus placendi studio, sive quod amictus hic præ patrio nimis adstricto opportunior, induerentur Teutonice.

Ungaros in nuptiis, conviviis, agendis exeqviis profusos ultra modum fuisse lapsis ætatibus, rerum patriarum scriptores retulere. Certe ex illorum sententia Dynastis, ac præcipuis ordinis equestris solenne fuerat, nuptialia hilaria in plures hebdomades producere; neque minus ritus supremorum id a populis aliis diversum habebant, quod ad honores novissimos exsolvendos accita pluribus a Provinciis Nobilitas, justis peractis, seu levamento superstiti conjugi, liberisque, ac necessariis, seu abolendæ memoriæ mortis, complures dies illic substiterit, convivans ex illorum temporum norma splendidissime.

Ah hoc in more fuisse positum Patrum memoria, comperio, ut statis anni diebus pluribus a Provinciis ad locum

cum descriptum conveniret Nobilitas, ubi Trojanum in morem, qui subinde ad Romanos, aliosque populos manaverat, decurrebat equis, aliaque veræ Nobilitati symbola spectacula edebat. (z) Ungaria adhuc superstitionibus addicta hic honos Principibus viris vita functis habebatur, (a) quem ad modum Bonfinius in funere Attilæ decursum equestrem inter cæteros supremorum honores recenset; verum superstitione repudiata, hæc pars funebris apparatus antiquata est.

Musicam, choreas, tripudia cætera tacitus prætermitto; nihilominus, si conjectura ab oblectamentis ad gentis indolem valet, ut valet certe, & musicam, & choreas, & ludicra alia, majoribus nostris placuisse constat, plena gravitatis, & quæ tantum non juxta mæstitiam: ex quo ingenium gentis facile quisque collegerit.

Singula hæc versa hodie, vel certe fere in mapalibus solis obvia, a quo tempore in mores immigravimus nostrorum Principum. Atque hæc de ritibus

(z) P. Kazi Hist. Part. ult. (a) Dec. 1. lib. 7.

tibus Ungarorum dicta sunto; nec enim minutim singula persequi libet. Cæteræ gentes, quales Ungariæ intulerant, religiosissime custodiunt moresque, ac institura; referre eadem singulatim, vix aliquod pretium operæ.

CAPUT V.

Forma Ecclesiæ

Divum Stephanum Ungaros ad Romana sacra traduxisse, splendidum Apostoli Ungariæ cognomentum, quo a Sylvestro id nominis secundo Antistite Romano exornatus est, in comperto dat. Attamen istud nequaquam eum ad modum velim accipi, ut si in Pannonia nullus antea nisi falsorum Numinum cultus extiterit. Etenim teste Scheleſtrato Virgilius Scavariensis in Pannonia Præsul Pelagio secundo Pontifice Gradensi Concilio aderat: dein Frigedilda Moravorum Regina sæculo æræ Christianæ quinto Nitriensem Episcopatum fundat: denique Carolum Magnum arma in Hunnos movisse causa Religionis, author est Eginhardus.

dus. Verum magis ob formidinem ex Carolo, quam quod ita deſtinaſſent, Chriſtianæ Religioni nomen dediſſe, mox patuit; quippe bello vix compoſito ritus Scythicos reſummunt, & ipſe Thuidinus Dux gentis, olim, ut pejus imponeret, ſalutari latice ablutus, cum jugo Francorum Chriſtianam fidem exuit. Nimirum debebatur providentia Numinis operis tanti executio filio Geyzæ.

Memoriæ proditum eſt, Hunnos cœlo, terræque, & majorum manibus Sinarum more litaſſe, tum communem lucis parentem ſolem pro numine ipſis cultum, antequam e Scythia egrederentur; verum Religio mutatis ſedibus hactenus novata eſt; enimvero Pannoniam ingreſſi, Præſtitem bellorum Martem complura inter Numina, quæ Græcia, parens eadem fabulæ, ac Hiſtoriæ, procuderat, præcipua religione venerabantur, ut gentibus bello exercitis omnibus Divinitas præcipua Mars erat.

Exſtitere Principes, quibus novandæ religionis ſtudium edicto ſteterat; con-

contra alii ſceptris exciderunt, cum ſacra mutare inſtituunt. Unde proin confit, aut viribus, aut validum ingenio eſſe oportere, quisquis ad Religionem novandam adjicit animum, abs alterutro ſi eſt, ſeque & ſuos perdit, neque, quod animo intenderat, ad exitum perducit etiam.

Geyza tanti operis difficultate introſpecta ejus executionem in filium transfert, qui ſuas vires æſtimans admovere manum cæptis paternis poterat, & vero illis etiam extremam adjecerat. Conjectura ex facili eſt, genus omne illiciorum depromptum Stephano, quo cæpta perficeret; ſed neque armis certare abnuit, erepta Numina armis repetente Hunno. Quoniam vero verſum iri intellexit, quod ipſe conſtituiſſet, niſi firmitatem acciperent a vigilantia Præſulum: Archi-Epiſcopatus, Epiſcopatus, & quæ alia vocabula ſacris Dignationibus indidimus, locis idoneis ſtatuit, ampliſſimis adjectis latifundiis, quo ſegniores ad pietatem alendam exſtimularentur.

Co-

Cogitanti mihi, quinam dotem adeo opimam Ecclesiis a se positis Rex Divus attribuisset, illius subit, potestate amplissima eum valuisse.

Roma labores hos muneratura appellationem Regis Apostolici Stephano tribuit, ad posteros Reges transmittendam. Incitamentum successoribus ejus hoc cognomentum est, quod præmium illi advenerat. Abstinuere tamen hoc honoris vocabulo Principes nostri ad hæc tempora, cum Augusta hodie regnans instaurationem ejus a Clemente decimo tertio accepit. Exæquata inde Regum nostrorum Majestas sceptris illis, quibus seu Christianissimi, seu Catholici cognomentum adnectitur.

Cæterum Divus Stephanus accepta a Sylvestro Papa potestate amplissima Ecclesiam Ungaricam in eam formam descripsit, qualis hodiedum visitur. Si rem feliciter odoratus sum, nostra Ecclesia non absimilis illi, quæ apud Gallias est. Credo, Capitularia Caroli Magni, cum Ecclesia novella formaretur, fuisse pro norma. Stephanus igitur, vi-

vices ei suas mandante Pontifice, Regnum in Diœceses dispescit, eisdem Antistites præficit, Cænobia Præsulibus subsidio constituit, leges nascenti Ecclesiæ idoneas condit.

In eruendis reliquis Ecclesiæ Ungaricæ, ac Regum nostrorum prærogativis, multi erant scriptores præsentis, & proximi sæculi; quæ, ut denique in aperto sint, maxime refert. Equidem, quæ in hoc argumento certa, edisseram.

Primum igitur illud est: quod a Regni principio Reges Ungariæ singulos Archi-Episcopatus, Episcopatus, Præposituras, & Abbatias Regales suo arbitrio conferant; sive Beneficia hæc in Ungaria sita sint, sive in regionibus eidem insertis; eadem vero ad Colomannum Regem per annulum, & baculum conferre solebant; (b) verum Rex hic investitura se abdicavit, jure retento. (c)

Post, iidem ad viduam Ecclesiam transferebant; quin & deponebant rebus

(b) Apud Illust. & Doct. Kollar. Hist. dipl. lib. 2. cap. 13. (c) Vide Collect. Concil. Tom. 12.

bus poſcentibus Prælatos ad Geyzam ſecundum, qui Juri huic ceſſit, ſpoponditque, ſe ſine *conſilio* Pontificis translationem, aut depoſitionem nequaquam porro facturum.

Demum jure *Regaliæ* gaudent, & defunctorum Prælatorum hæredes ex aſſe ſunt: inſuper uſque ad electionem, vel nominationem novi Prælati Beneficii vacantis fructus percipiunt.

Singula hæc Regum noſtrorum in res ſacras jura a ſynodo Conſtantienſi novum robur acceperant, atque in integro hodiedum ſunt; & ſi eveniat, ut Provinciarum inſertarum quæpiam a Regno aveſſatur, ut temporum iniquitate avulſæ complures; nihilominus Reges noſtri Beneficiorum titulos Provinciæ amiſſæ ſuo arbitrio conferunt. Pro prærogativis his, ut par erat, acriter depugnabant Reges noſtri, quoties eas Romana Curia acciſum ibat; cumprimis ſtrenui earum aſſertores erant, Colomannus, Geyza ſecundus, Bela tertius, Emericus, Andreas ſecundus, Bela quartus, Carolus, Ludovicus, & Maria primi, Si-

Sigiſmundus; Joannes, & Mathias Corvini; denique e Domo Auſtriaca Ferdinandus ſecundus, & Leopoldus.

Iſthinc vero coarguas morem præpoſterum ſuperiorum ſæculorum, quibus poſtulatos a ſe Prælatos Capitula a *Romano Pontifice, non vero Ungariæ* Rege confirmari petebant: e diametro juribus noſtris iſthoc opponi, nemo non videt. Denique & illud Eccleſiam domeſticam commendat, quod neglectis Ordinariis appellare Romam, per leges Regni nefas ſit. (d) Tantum eſt de prærogativis ſive Eccleſiæ, ſive noſtrorum Regum in res ſacras. Sed jam nonnulla de ipſis Beneficiis ſingulatim dicenda.

Strigonienſis Archi-Præſul ultra Primatiale decus eo etiam effulget, quod Legatus Romanæ Sedis per Ungariam ſit; atque inde rari apud nos Romanæ Sedis Adminiſtri, & ſi qui ad nos deſtinabantur, fere Legati a Latere, aut *quapiam alia amplioris poteſtatis* appellatione conſpicui erant. Geminas has prærogativas Eccleſiæ Strigonien-

E ſis

(d) Math. Corv. Decr. 3. art. 19.

ſis Ladislaus Poſthumus, Romæ commoratus, a Nicolao quinto confirmari petiit, & impetravit; ſed iſthinc colligas, jam ante hæc tempora fuiſſe annexas huic Eccleſiarum noſtrarum Parenti.

Iidem Archi-Præſules ab Andrea ſecundo Reges Diademate incingunt; nam antea jus hoc Eccleſiæ nulli proprium erat. (e) Nec minus prærogativa gaudent dicendi nobiles; ſed hi veram Regni nobilitatem non conſtituunt, ſuntque Regi vectigales. Inſuper Primas Ordinarius Regni Judex eſt, utpote Secretarius Cancellarius. (f) Denique Strigonienſi Provinciæ ſupremus Comes jus reddit.

Altera apud nos Metropolis Colocza: an urbs hæc a principio Metropolitæ Sedes fuerit, ambigitur; certe ei Bacſienſis Eccleſia Geyza Secunde Rege unita canonice videtur.

Subjicienda Metropolitanis Weſprimienſis Eccleſia, cujus Præſul perpetuus Reginæ Cancellarius inſtituto anti-

(e) Epiſt. Innoc. Pap. ad Joan. Primat. dat. 1209.
(f) Uiad. 1. Decr. 1. Art. 42.

tiquiſſimo; idem Reginas Corona evincit.

Nec transmittendi ſilentio Quinque-Eccleſiarum Præſules, quibus uſus *Pallii* a Calani loci Præſulis ætate. (g)

Præpoſitura Albæ-Regiæ hoc loco eatenus commemoranda, quod ejus Prælati olim cuſtodiæ ſacri Diadematis appoſiti. (h) Unde colligas, ad Belam tertium, vel ſolos Prælatos, vel cum Proceribus profanis promiſcue; pignoris hujus extitiſſe Cuſtodes.

Conventus Eccleſiaſticos non adeo frequentes apud nos olim habitos, ſacra Regni Hiſtoria, fidem facit. Credo Eccleſiam noſtram eum ad modum efflorviſſe, ut his adminiculis carere facile poſſet. Neve temere quisquam aſſertum a me hoc putet, referat animum ad Reges noſtros, plerosque a pietate commendatiſſimos, quibus pro Eccleſia Dei excubantibus, ecquid res ſacra detrimenti caperet? deinde primis Regni Sæculis in ſingulis Diœceſibus binas ſynodos quot annis Epiſco-

pi,

(g) Anno 1214. (h) Epiſt. Innoc. Pap. 1. apud Baluz. Tom. 1.

pi, & Comites Parochiani habebant, quibus rebus labefactis, sacris, ac profanis juxta, subsidium quæsitum. (i) Posteaquam vero per cladem Mohacsianam Respublica utraque concussa est, complures habiti Patrum conventus, ut quoniam morbi frequentarentur, medela item crebresceret.

CAPUT VI.

Religionis status.

Stetit inde apud nos Religio curis S. Stephani, & quamquam gravissime sæpius afflicta, cum maxime vero valescentibus civium armis, caput attollere illis compositis, ut spes non ex vano sit, Regnum omne ad Romana Sacra iri eductum, si pax in longum domi constet.

Laudi cumprimis id apud nos apponendum, quod ex quo tempore gens sacris Christianis initiata, ab iis universa nunquam defecerat; nec minor ex eo gloria; neminem unum ab ipso Regni primordio ad nostra tempora Dia-

(i) Colomann. Decret. lib. 1. cap. 2.

Diademate Sylvestrino evinctum Principem, heterodoxis dogmatis imbutum. At vero penetrasse crebro errorum Magistros, Provinciis compluribus sua sensa afflavisse, doluimus affatim.

Tertium a Stephano Regem venerabatur Ungaria, cum gens erepta sibi Numina armis repetebat: nil uspiam religiosi, quod manus impiæ non polluerant; proruta templa, Monasteria versa, Superorum immortalium Sacerdotes crudelissima morte affecti; sed enim Andreæ Regis pietas Religioni murus aheneus. Ex hoc tempore superstitio sedibus suis restitui nunquam attentarat. Rem miram! jam omnibus ludibrio esse, doctissimis Romanæ, & Græcæ gentibus culta Numina, paucas si demas nationes barbaras, quæ sua Numina in hortis, in sylvis, in flaminibus nasci quotidie, & interire vident. Nempe solum Verum immune vicissitudinum, cætera quæque conversionibus obnoxia. At enim coortis Fratricellorum, Flagellantium, ac mox Hussitarum erroribus, ali-

aliquantum obumbratus Ecclesiæ Ungaricæ splendor; verum firmum figere pedem haud iis licuit, Regibus Apostolicis pro viribus enixis, ut ocyus errores, errorumque Magistri Regno toto exigerentur.

Religio fere fatis publicæ rei obnoxia est; cumque eo vicissitudines habet communes. Indeque stetit Religio florentibus rebus nostris, quæ postquam conciderunt, Religionem quoque in abruptum traxerant, subeuntibus magno numero Regnum errorum Magistris, ex quo arma civilia locum invenere. Tristissimam Ecclesiæ nostræ faciem ea tempestate fuisse, quisque sibi facile effinxerit, si cogitet, Præsulibus potiore parte ad Mohacsium interemptis, Optimates laicos, superque dedecus istud plerosque Lutheri, vel Calvini imbutos erroribus, occuparis Ecclesiastici ordinis fundis sese pro Antistitibus gessisse; adjutores Præsulum cœnobitas insuper habita sponsione Deo facta, egressos Claustris, seque nuptiis incestis contaminasse; quæ inter Religionis deho-

nestamenta populus, accedente tot malis cumuli instar ignorantia, cupidinibus suis obsequentem doctrinam avidissime arripuit.

Id vero eo tempore accidit insolens, ut urbes juris Turcici, immunes manerent errorum, Turcarum opera; etenim urbium Præfecti usque abnuere (k) alio ritu coli sacra Christiana, atque eum ad modum, quo Magnus Corvinus officia pietatis Christianæ exercebat. Tanta vis etiam a fatis huic nomini inerat. Nisi forte Germaniæ, Galliæque gnari, ubi motus ingentes novata Religio dedit, formidine turbarum, suis in urbibus interdixerint nova dogmata.

Reputanti mihi, id temporis hæreses brevissimo temporis spatio omnem septentrionem pervasisse, illius subit, authores doctrinæ novæ homines morum, & temporum fuisse callentissimos, alioqui tot regna, tot viros Principes, tot populorum examina in verba sua nunquam adacturi erant, cum vel minimæ factionis caput evadere,

(k) P. Hazard. Kirchengeschichte 1. Theil.

laboriosum sit. Et profecto mortalium oculatissimi hamum adhibuerant, sæculi illius ingenio prorsus accomodum. Erat ætas illa, si qua alia, longe corruptissima, id duces sectarum introspexerant; quid agant igitur, quo populum in vitia quævis defluentem allicerent? mores eorum, quos emendare desperaverant, probant: nil quidquam malefactorum sibi iri imputatum crimini, persuadent: cœlum inscendi vita etiam sceleste acta. Vitiis innutritis animis ecquid gratius, cupidinibus suis lenocinante dogmate?

Viris religiosis tempestate illa nil admodum religiosi, ultra symbolum religionis indumentum præsemet ferentibus, vitam cælibem eum ad modum expinxere, ut si repugnet eadem juri naturæ, statutis divinis, felicitati publicæ: quid accipitur libentius animisque, ac auribus corruptis?

Principibus, alioquin ærario augendo semper intentis Antistitum latifundia ostentant eminus, quibus per summum nefas obtineri, qua scriptis libris, qua habitis ad eos dictionibus persuadere contendunt.

Ungariam quod spectat, Ludovico Rege Regnum penetrare connixi Protestantes, sed frustra; at vero eo sublato, quoniam Procerum nonnullos doctrinæ suæ fautores nacti, toto Regno eam disseminare incipiunt ingenti populi accursu. Attamen jus civitatis Protestantibus, quo nomine apud nos etiam Calvini sectatores veniunt, primum a Rudolpho secundo concessum. Neque a ea de causa quisquam Principem hunc coarguat, ut nemo peritus temporum Carolo quinto Cæsari Passaviensem similis argumenti pacem vitio dedit. Cæterum cum fine permisso, etiam subsidia eum consequendi, concedi necessum sit; Pastores, Templa, Gymnasia apud nos sectæ utrique.

Ultra Protestantes in Regnum sese intulerant Rebaptizantes, sic dicti, quod singulos latice salutis abluant, quicunque initiati Baptismate intra primam juventam. Verum quod secta hæc civitate nequaquam donata, mandaverat Augusta, ut e receptis regno sectis aliquam deligerent, in qua

 sua

ſua nomina profiterentur, priſtino repudiato dogmate: & paruere voluntati Auguſtæ.

Error Byzantinus ex Illyrico in Regnum immigravit. Multi erant Præſules noſtri, ut Sedi Romanæ populus Illyricus adhæreſceret; verum ad hoc tempus fruſtra fuere conatus omnes.

Annotare libet, principio naſcentis Eccleſiæ multa apud nos Byzantinum ad ritum fuiſſe inſtituta, quemadmodum e Decretis ſancti Ladislai elucet; attamen iſthinc perperam quisquam conficeret, converſionem Ungariæ Eccleſiæ Græcæ adſcribendam.

CAPUT VII.

Religioſi Ordines.

Divus Stephanus excitatis cœnobiis compluribus Benedictinæ familiæ, quod hæc ſibi operam egregiam navaſſet in traducendis ad fidem Chriſtianam Ungaris, facem prætulit ſucceſſoribus ſuis, ac Regni Dynaſtis. Princeps Monaſterium divi Martini honoribus ejus

ejus munificentia in monte Pannoniæ ſurexit. Statutoriæ literæ hujus Abbatiæ temporum illorum lectorem advertunt; nam ultra vini, frumenti, olerum, ac pecoris decimam, poteſtas adeo Abbati fit, denam quamque prolem ſexus utriusque ſibi vendicandi per Provinciam Sümegienſem. (i) Æmulati Stephani exemplum Principes, ac Optimates noſtri, frequentiſſima toto regno condidere cœnobia, accitis ab Italia, ab Germania, ab Gallia Religioſis familiis.

Sæculum degimus, quo non ea res agitur, ut plura in dies ſurgant Aſceteria, verum quo profanis uſibus vertantur alia, alia, numero cœnobitarum acciſo, primævo ſtatui reponantur. Quo in argumento verſari mihi, qui ad Rempublicam non acceſſi, haud expedit.

Familiæ Religioſæ apud nos bifariam dividuntur; aliæ ludis literariis apertis juventutem bonis artibus informant; ad hoc Præſulibus in proferendo Nu-

(i). Carthuit. Bonf. & Stilting in vita S. Stephani Paragr. 14. num. 148.

Numinis cultu operam multiplicem navant; aliæ fere sibi vacant. Teneram ætatem literis imbuunt Patres S. J. a Nicolao Olaho Regni Primate ab Italia acciti; tum postea a Piis Scholis dictus Ordo. Decumbentibus ex valetudine præsto sunt a Misericordia nuncupati Fratres; nec minus ordo Sanctimonalium a Nostra Domina, itemque a Divis Elisabetha, & Ursula dictus, æmulatione Religiosarum familiarum, quas nunc appellaveram, operam suam Reipublicæ comodat tali ratione: nempe Beati Forerii institutum professæ, ac Divæ Ursulæ Sodales teneram ætatem sexus similis ad omnem honesti normam fingunt: quæ a Diva Elisabetha nomen habent, fæminis ægrotantibus instaurandæ valetudini subsidia sufficiunt.

Duplici huic vitæ instituto ratione item duplici alimenta adveniunt; nempe alii stipem ostiatim colligunt, aliis vitæ sustentandæ subsidia præbent a Statoribus Monasteriorum dati fundi. Neque hac in re desideres munificentiam Regum, ac Dynastarum nostrorum; profecto singula per eos excitata

tata cœnobia paupertatem in rebus facillimis habent.

Memoria Patrum Ordo S. Benedicti, Cisterciensis, ac Præmonstratensium frequentissimas Regno toto Abbatias numeravit; quarum complures temporum injuria, vel rebus ita poscentibus, ab iis avulsæ, hodieque juris alieni.

Observare libeat, nullum Religiosum ordinem sua initia debere statori Ungaro, præter unum Divi Pauli primi Eremitæ: cæteræ familiæ, quibus civitatem nostram aperuimus, fere Hispanos, Gallos, ac Italos parentes venerantur; at vero is apud nos ortus, coëuntibus in unum solitariis, qui juga Strigonio circumjecta insederant. Nascentem familiam Reges nostri summa benevolentia amplexi sunt, neque desistunt percolere.

Vicem rependere benefactis Ordo visus, cum Reipublicæ duo inprimis clara nomina subsidio dedit temporibus diversis, quorum res pro patria gestas loco hoc carptim exequi, absurdum ab operis argumento non erit.

Al-

Alter erat Georgius Martinusius, vulgo Georgius Monachus dictus. Hunc non longa majorum series, non alia fortuita, quæ sæpe pro virtute sunt, verum sua decora protulerunt ad famam, moxque etiam ad gloriam. Parentibus honestis in Dalmatia natus, lubrico ætatis inter studia bonarum artium acto Divi Pauli Institutum amplectitur. Scientiarum stadium ex illius ævi norma emensus, eruditionis soliditate, & imprimis rerum tractandarum peritia aditum facilem ad Procerum plerorumque, cumprimis vero Zapoliæ, intimam familiaritatem reperit. Erant ea tempestate res Ungariæ in ancipiti, distractis Optimatibus, quorum alii a Ferdinando, alii a Comite Scepusiensi steterant. Georgius aliorum exemplis, simul amicitia, quam cum Joanne arctissimam coluit, pellectus, amicum sequitur, ejusque fortunam erecto ingenio, vigilantia, suapte quadam ingenti fortuna sustentat. Sed demum introspecta causæ æquitate, partes, a quibus steterat, deserit, ac Ferdinando accedit, Transylvania etiam in ejus obsequium ad-

adducta. Præmium transitus, & navatæ operæ Romanam Purpuram, & Insulam Strigoniensem tulit. Verum, qua nescio vertigine actus, post paulum rebus iterum novis studet, quo comperto, Castaldus, Cæsareus adverversus Isabellam belli Imperator, eum gladio per Sicarium jubet percuti. Mors ejus docuit, quis, qualisque Georgius erat. Nam eo sublato ire pessum, quod a Solymanni furore, Regni erat integrum. Me suffragante, non eruditio, non rerum tractandarum dexteritas, non Purpura Romana, horum decorum præmium, nomen Martinusii immortale reddunt; quod in eo Regnum memoria sempiterna recolat, illud est, quod eo superstite pedem firmum hæresis figere nunquam valuerit, adversus cujus tentamenta pro munimento insuperabili erat Georgius Monachus.

Alter ordinis hujus Alumnus Emericus Eszterhazius eo gloriæ via dispari pervenit. Nam huic splendor generis promptos ad omnia fecit aditus, Martinusius quantus erat, propriis virtu-

tutibus affecutus eſt. Cæterum animi magnitudo, vitæ probitas, doctrinæ amplitudo in his prope paria fuere. Non enim is Eſzterhazius, cui nobilitas pro virtutibus eſſet, ſed cujus virtutes generis claritudine illuſtrarentur, atque eum ad modum refudit Familiæ ſplendidiſſimæ, quantum ab ea decoris accepit.

Igitur adoleſcens admodum poſthabitis ampliſſimis ſpebus Divi Pauli Eremitis adjungitur, uni Deo famulari certus. Hic brevi tempore eum in literis, & virtutibus progreſſum fecit, quem ſubinde inculpatus vitæ tenor, & literaturæ genus omne teſtatum ibat. Tot ornamentis conſpicuus nedum Eſzterhazius, ad quasvis dignitates pronos habuit aditus. Quare Præfecturis ſui ordinis præcipuis defunctus, benevolentia Regis Inſula donatur. Factus Antiſtes, hoc in munere eum ſe probavit, quem Carolus Cæſar idoneum crederet, cui procuranda per omnem Ungariam ſacra ſuprema cum poteſtate mandaret. Neque delectus hujus unquam pœnitudo habuit Cæſarem.

rem. Clerum exemplo ſuo ad omnem honeſti normam formare, exſtimulare ſegniores præmiis laborum auctis, Templa excitare, religioſas familias ære, benevolentia, authoritate ſua fovere, ac protegere. Sed miſericordia in egenos virtus illi præcipua; quos ſeu obvios, & paupertatis manifeſtos, ſeu affluentia ſimulata, tanto magis opis indigos, quanto ſtudioſius premeretur, pro viribus ſublevabat. Dignus inde, cui egeſtas multorum proſperiore fortuna mutata copioſis lachrymis, genere laudationis optimo, parentaret. Tantus vir cum eſſet, ſplendoris plurimum proſapiæ, ordini ſuo, ac toti Regno affudit.

CAPUT VIII.

Forma Regiminis politici.

Primi mortalium ſine legibus, ſine magiſtratibus, ſine coërcitionibus agebant; at ubi libido adoleverat, æqualitas cæpit exui, & dominationes provenire.

Obſervare libet, gentibus omnibus

for-

formam regiminis variam & multiplicem fuiſſe, ſive inconſtantia humanæ mentis, ſive quod facere periculum voluerint, quodnam regiminis genus publicam felicitatem unum omnium maxime procuret; ſed enim plerisque ad extremum viſum eſt, rerum ſuarum arbitrium ſumma cum poteſtate in unum conferre. Nec ſolum apud populos Europæ plerosque, ſed eas etiam nationes, quæ reliquas orbis partes tenent, Monarchia obtinuit denique.

Hunnos necdum e Scythia egreſſos vocabulo Imperatorio conſpicuis paruiſſe Principibus, Degvineſius refert. Europam primum intravere auſpiciis Balamberis Regis, qui ſolus publica comoda curabat; valuitque hæc regiminis forma ad Attilam, a cujus fatis ſalutis publicæ procuratio penes plures; ſed Geyza Princeps rurſus omnia ſub imperium accepit.

Sub hoc tempus, quo Ungari Rempublicam ſuam deſcribebant, Francorum, ac Anglorum Regna cumprimis florebant; occidentis ad hoc imperium licet

licet per intervalla magnis concuſſum motibus ſtetit; Byzantinum vero parte orbis altera in præceps vergebat. Nec ſilentio transmittenda Venetorum Respublica, ea tempeſtate, ut hodie florentiſſima: quod ſi initiis hujus Reipublicæ excidio Aquilejæ Nitari fati lege oportuit, pace omnium dixerim, optabilem fuiſſe vim Attilæ.

Ungari ſuopte ingenio, an vicinarum gentium æmulatione, talem Reipublicæ formam deſcripſerant, ut rerum arbitrium in Regem, & Optimates diſpeſcerent; poſt, Thronum domui nulli vectigalem facerent, virtutibus lætius effloreſcentibus, ſi præmio hoc, quo uno hominum ambitio reſtingui poſſe videtur, percoli queant. Verum enim vero eatenus hæc forma novata eſt, quod pro libera electione hodie hæreditaria ſucceſſio obtineat; ſed & memoria patrum nunquam cognatis ſceptris excidit, quisquis domum regnantem cognatione contingebat. At vero reliqua regiminis forma hodiedum in integro eſt, & quoties Reipublicæ refert, conventus

tus ſtatuum habentur, ubi leges de communi conſenſu feruntur, aut antiquantur, Vectigalia, ſi ferat uſus, intenduntur, denique rationi temporum opportuna quæque conſtituuntur.

CAPUT IX.

Regum recenſio.

Formam civitatis noſtræ paucis dedimus, jam regimen ſingulorum Regum carptim perſtringere, ordo rerum, & nexus poſtulat.

Ungaria ad hoc temporis Reges numerat octo & quadraginta. Domus Hunnica tres & viginti dedit; quatuordecim e mixta profecti; demum ex Auſtriaca undecimam non interrupta ſerie veneramur Auguſtam hodie regnantem.

Divus Stephanus Ungariam hactenus ducalem ad Regni faſtigium provehit: gentem omnem ad Chriſtiana ſacra traducit: Regnum legibus fundat: Eccleſiam in hodiernam formam digerit: Tranſylvaniam armis aſſertam Re-

Regno adjicit: bello civili a Cupa appetitus eundem profligat. Cupa hic peſſimo ad poſteros exemplo primus arma in Regem corripuit.

A ſatis Stephani Petrus, ac mox Aba thronum implevere; ſed gens molli imperio ſueta ſceptris utrumque dejicit, ac vita privat, quod crudelius agerent, quam ut intra patientiam gentis liberæ eorum crudelitas conſiſteret.

Andreas I. Ungaros ad avita ſacra prolapſos ad Chriſtiana traducit iterum: idem diviſo triſariam Regno partem tertiam in Belam fratrem transfert adjecto Ducis titulo; abhinc hæc prærogativa fratribus Regum, & propinquis conferri ſolita.

Bela I. rem nummariam Byzantinis nummis aureis adauget: ſuperſtitionis reliquias abolet.

Salomon Rex diſſenſiones cum fratribus Regno toti, & ſibi ad extremum perniciofiſſimas fovet: idem in matrem impius Regno privatur, ac etiam hominum ſocietate, inter ferarum ſaltus vitam reliquam acturus.

Geyza I. regni avidus antequam obtinuiſſet, obtentum Salomoni fratri reddere voluit ex animi angore; cæterum belli peritus Henricum Imperatorem ex Ungaria exigit.

Ladislaus I. optimus a Divo Stephano Rex, Cumanos identidem reprimit: Croatiam, & Sclavoniam Regno inſerit: a bellica fortitudine clarus ſacro bello Imperator datur, quod adminiſtraturus, dum in Palæſtinam properat, morte intercipitur, ob vitæ ſanctimoniam a fatis Sanctorum Catalogo adſcriptus.

Colomannus deformi ſub corpore ingenium verſatile, moroſum idem, & iræ obnoxium tegebat. Cæterum laude digna geſſit, dum Ramam & Dalmatiam nobis aſſerit; hujus Clerum Ungarico, iisdem datis immunitatibus, exæquat. Idem inveſtituræ Beneficiorum renunciat, jure retento ea conferendi.

Stephanus II. Dalmaticis turbis cum maxime exagitatur; adverſum Græcos & Ruſſos rem minus proſpere agit. Cæterum, quoad alienis regebatur con-

ſiliis, felix; infelix contra erat, cum Regem ſe credidit, neque conſiliis Optimatum aures præbuit.

Bela II. cœcus, ſed multis oculatis oculatior, oculorum lumen pietate, fortitudine, & ſapientia penſat. Borichium Regnum affectantem proſligat; Ungariam urbibus ornat. Princeps plane egregius, ni tot virtutes, & egregie geſta temulentia fœdaſſet.

Geyza II. Saxones in Daciam evocat; Auſtrios, & Ruſſos debellat, a Græcis invicem ſæpius victus, quibus etiam Sirmium cedere cogitur.

Stephanus III. ob metum ex Manuele Græcorum Imperatore Regno cedit; ſed poſt paulo reſtitutus, Græcorum, dum vixit, hoſtis fuit; a quibus ſæpe clades accepit, quarum cumulus amiſſio Dalmatiæ, per Græcos occupatæ.

Ladislaus II. Manuelis opera Rex, eo ad ſua reverſo, ſexto Regni menſe viduum thronum fratri reliquit, ſponte an coactus?

 Ste-

Stephanus IV. ob Græcos mores invisus Ungaris, Regno excidit, quod frustra armis recuperare nititur; Sirmio inde se includit vim Ungaram fugitans, ubi post paulo veneno potatus obiit.

Bela III. judiciorum, & aulæ rationes instaurat, cum Romano Pontifice transigit ad normam Patris Geyzæ; nequaquam vero, quod Spondanus vult, juribus Regum Ungariæ in res sacras renunciat.

Emericus domesticis turbis vexatur, fratre, qui dein Andreas secundus Rex partium duce: idem Serviam Regno adjicit, & Bulgariam.

Ladislaus III. infans etiamnum, patris voluntate Rex incingitur, quo mox sublato, ob metum ex Patruo in Austriam cum matre profugit, ubi post paulo obit.

Andreas II. Ungaricæ libertatis assertor; idem Christiani exercitus adversus Saracenos Imperator ob multatos hostes, auctum finibus latinum imperium, nomen Jerosolymitani adipiscitur. Cæterum domi vulnus accepit, qua sensit tenerrime, Gertrude Regina per Banum Sclavoniæ Banconem, vulgo Banchanum, perempta, quod fratri suo prostituendam uxorem Banconis obtulerit, an alia causa suberat; certe utcunque hoc sit, Andreas perculsorem, quod mirere, criminis absolvit.

Bela IV. sua adversus Cumanos benevolentia Tartaros in semet excit, quibus Ungariam omnem triennio persultantibus, ipse in Dalmatia asylum reperit. Redditus Regno a Barbarorum indidem excessu, vastitatem novis coloniis pensat. Regni fines propagat, legibus vim afferit. Avidus titulorum regiones singulas, quas obtinebat, vel certe ad quas jus ipsi, in principio Decretorum suorum recenset. Credo Anonymum Regis hujus scribam, eo fine manum operi admovisse, ut jura Regum nostrorum certa a dubiis secerneret.

Stephanus V. furoris Tartari reliquias abolere pergit; cæterum Styriam amittit, quæ ab Ottocaro recipitur.

Ladislaus IV. Chunus dictus, quod in Cumanos propensior, Ungaris invisus vixit: suspectabant hi nempe, eam rem agi, ut Chunos proveheret altius, quam sua referret.

Andreas III. exteris Andreasius, sed perperam dici solitus, gravissimis vexatur diffidiis; indeque in morbum prolapsus, ex animi mœrore obiit.

Reges e domo hac profecti, domi adversum cives, ac etiam fratres, aut necessarios, foris cum Germanis, Russis, Græcis, ac Cumanis bella gravissima gesserant; quodque mirere, fere cum hostibus debellarant. Super hæc bellica decora, laudum genus, quod ex pietate venit, proprium sibi fecit domus Hunnica. Ungaria semel ac iterum superstitiones Scythicas armis asserere adnixa; armis arma opposuere Hunni Principes, ædes Numini sacræ impiorum manibus prorutæ, sed vestigiis iisdem eductæ: profanata sacra, pollutæ cærimoniæ, sed nimirum eadem superstitionis excidio luitratæ.

Neque minus Hunnicæ pietatis monu-

numenta sunt, Episcopatus, Præpositurae, Abbatiæ magno numero firmandæ Religioni institutæ; deinde, quod plurimum valet ad virtutem aliis inferendam, Regiam Aulam virtutum Palæstram dixisses, e qua cælestes honores tot adepti viri Principes, Fæminæque, quot nulla domus regnans cælo transmisit, ut si pietas primi Regis, qui gentem omnem sacraverat Numini, ad posteros suos cum sanguine manasset. Rependit cælum tantæ pietati mirificum munus, cum e domo hac oriundis Principibus vim Ictori propulsandi contulit. Cæterum rei hujus nemo, quod sciam, scriptorum nostrorum meminit, ipse prærogativam hanc commendationi Regum Hunnicorum refero. (m)

Quoniam vero Principes domus Hunnicæ aliis ex aliis implicabantur bellis, pacis alumnas artes exterorum more Regum fovere haud poterant. Jacuere inde bonæ artes in Ungaria, quibus non secus ac triumphorum insignibus Regna ornantur. Nec minus ja-

(m) Mars Gallic. l. 1. cap. 13.

jacuere commercia, ac labaris domesticis præfulgentes carinas Oceanus nunquam spectavit. Requirebant etiam Tamesis, & Sequanæ exemplo gravia mercium navigia nobilissima patria flumina; at profecto mercaturæ genus hoc solum est, quod tellurem omnem omnium feracem præstat, dum, quæ domi nata sunt, exportantur peregre, iis invicem maris, & fluminum opportunitate advectis, quibus naturæ parcitate destituimur.

Cæterum, esto, penes Optimates tempestate illa, sceptri arbitrium fuerit, attamen, ut quisque domus Hunnicæ surculus, seu eidem per connubia insertus erat, nunquam cognatis sceptris excidit. Factum inde, ut a Divo Stephano ad Andream tertium nemo, nisi domus Hunnicæ Princeps, vel certe eidem per affinitatem insertus thronum impleverit. Tribuere istud Proceres meritis Divi Stephani, quibus subinde cumulus accessit per Reges successores, ac certissimus ad solium aditus patuit liberis, si Regnum beneficiis Patres ornaverant.

Do-

Domo Hunnica cum Andrea tertio exstincta, necessitudo cum Rege eodem viam ad solium fecit primum Wenceslao Bohemiæ Rege genito, mox Ottoni Duci Bavaro. Extra controversiam est, Principibus his viam ad solium aperuisse, quod domum Hunnicam contingerent cognatione; sed causa ex simili sceptris etiam exciderant, quod domus Andegavensis arctius Hunnis Principibus innexa esset.

Wenceslaus igitur ad Regnum accitus, Corona incingitur; sed ejus coronationi intercedit Pontifex; neque hoc contentus, Ducem Austriæ in eum concitat; viso hoc Wenceslaus cum Regni corona in Bohemiam abit. Ab ejus excessu Otto Bavarus Rex evincitur, impetrata a Wenceslao Corona; sed & ejus coronationem irritam declarat Pontifex; captus ad extremum a Socero Transylvaniæ Vaivoda, Corona reddita, suo in Ungariam juri renunciat.

Accitur inde ad solium Domus Andegavensis Neapoli imperitans, ex qua profecti terni *Reges* Carolus, Lu-

do-

dovicus, & Maria. (n) Carolus Rex, ut Regni fines protulit, ita ſtatum ejus interiorem percoluerat, ni Mathæus Trenchinienſis conatibus optimis interceſſiſſet; ut adeo ſi qui noſtrorum Principum Regnum perpolire volebant, domeſtici motus pro impedimento erant.

Ludovicus filius, Ungaris Magnus dictus, ob res præclare geſtas, ad ſummum faſtigii provexit rem noſtram. Nemo omnium Ungariæ Regum hoc latius dominabatur; nam ſuper Ungariam, & eidem inſertas Provincias, Neapolim imperio tenuit, quam tamen mox fraterno in Andream Germanum ſuum amori ceſſerat. Florebat inde Regnum opibus, viribus, proſpera fama orbe toto.

Rex vero formidatus æmulis ſuis, domi ſuorum amor erat, quos exemplo vitæ probatiſſimæ ad omnem recti normam formabat. Ultra virtutes alias, quibus niteſcebat, pietas in Reginam Cælitum peculiaris in eo eluxit. Rependit ipſa pietati huic munus ingens, cum ſeſe ei ſpectandam dedit. Huic etiam Regi in acceptis fert

(n) Vide Georg. Haner in Regia Tranſylv.

fert locus Styriæ, a gratiis Deiparæ tota late vicinia clarus, incrementum ingens; nam poſtquam cum Turcis Ungariæ *imminentibus debellaverat*, *eo* cum victore exercitu contendit, vota pro belli exitu proſpero ſuſcepta exoluturus, atque ita exemplo ſuo, & hoſtium manubiis, quarum magnum numerum tholis ſuſpendi placuit reli*gionis*, & *victoriæ monumento*, locum clarere cœptum egregie illuſtravit. Cujus rei non immemor Benedictina familia, quæ illic ſacra procurat, monumentum poſuit, in ævum omne manſurum, pietati Ludovici Regis.

Altero *non minus illuſtri* documento ſuam in Regem hunc voluntatem Regina Cælitum teſtatam fecit. Saracenis Aſiam inundantibus ædes ea, in qua Deus hominem induit, ludibriis obſcænorum hominum exempta, in*que Europam miniſterio Angelico* translata Terſacti, oppidulo Dalmatiæ, qua noſtra eſt, collocatur. (o) Verum quod Regis pietas promeruerat, id avaritia herorum peſſum ibat, qui in

(o) Horat. Turſellin. Hiſt. Dom. Lauret. lib. 1, cap. 2. 3. 4.

in nundinationem verterant tantum cæli pignus. Unde oftensa duntaxat isthic ædes sacra, post paulo Lauretum iisdem administris transferenda.

Sed enim ut cuncta, cum fastigii summum contigerant, defluere, ac retro agi; a morte Ludovici res Ungara vergere cæpit. Hæredem stirpis virilis nullum nactus, quod unum poterat, sceptra in Mariam filiam Sigismundo Brandenburgico collocatam, sua, & Procerum voluntate transfert.

Optimis artibus quæsitam potentiam auspicari Mariæ pacate non licuit; quod tempore eodem a Primorum nonnullis ostentatum Carolo Parvo Regni diadema. Verum is post paulo, quam in Ungariam advenit, interemptus, novum humanæ vicissitudinis documentum exstitit.

Atrox facinus alio atrociore oblivioni datum. Regina Maria cum Matre Elisabetha, seniore Ungariæ Regina, Regni Provincias lustrare instituit, quo labantes subditorum animos in obsequio firmaret. Erat ea tempestate Sclavoniæ Banus Joannes Horva-

vathus, Ludovici Regis benevolentia Magistratum hunc adeptus. Is in omnes occasiones vindicandi Caroli Parvi intentus Reginas insidiis excipit, ac seniorem, si qua Bonfinio fides, aquis præfocat, (p) Juniorem in vincula conjicere contentus, seu quod ferocem animum memoria benefactorum a Rege Ludovico acceptorum subintraverat, seu quod reverentia Regii fastigii meditatum nefas inhiberet. Attamen Regium comitatum e nobilissimis Matronis conflatum suorum libidini permittit. Tot facinoribus fides in Regem Carolum obtendebatur, quam nisi cum vita non exuit. Sed enim ut crimina illustria fere ultio consequitur, Sigismundus Rex, graviore sententia pronunciata, supplicium de Horvatho summit. Sunt, qui criminum immunitatem a mitissimo Principe datam eidem volunt.

Tot calamitatibus haud diu superstes Maria, Sigismundo, quicum hactenus partiebatur imperium, id genus potestatis divisæ *Corregentoratum* di-

(p) Dec. 3, lib. 1.

cimus, arbitrium rerum permittit. Verum & hic bellis civilibus exagitatus, captusque etiam a suis, & arci Sicloſienſi incluſus, iisdem oſtentui fuit; quæ Regni facies ea tempeſtate fuerit, quisque facile conjiciet.

Regis hujus oſcitantia vulnus ingens accepimus, pulcherrima regni Provincia Dalmatia a nobis avulſa. Res ita habuit. Ladislaus Caroli occiſi filius, cum deſperaret ſe Regno Ungariæ, cujus titulos uſurparat, potiri poſſe, Dalmatiæ potiorem partem, centum millibus ducatorum Venetis tradit. (q) Sed profecto exigui roboris hæc venditio eſt, cum neque legitimus Rex Ladislaus eſſet; & neque a Rege legitimo citra ſtatuum conſenſum quidquam abalienari a Regno poſſit.

Albertus a Socero traditum Regnum ingenti ejus comodo adminiſtrare cœpit, cum de improviſo malo Dyſſenteriæ extinguitur. Moriens Reginam vicinam partui cum reliquiſſet, eadem poſt paulo Ladislaum, quod

(q) An. 1409.

quod a morte Patris in lucem datus, dictum Poſthumum, enititur. Regnum Ladislao nec diuturnum, nec bellorum expers.

Pro Rege infante regno moderabatur, Gubernatoris aſſumpto titulo, Joannes Corvinus. Nunc primum igitur Gubernatoris, ut Rege Maria Corregentis vocabula noſci in Ungaria cœpta. Erat autem Joannes Toga, Sagoque, ſed Sago inprimis longe clariſſimus Heros. Is Amurathem Turcarum Regem Ungariæ imminentem Belgradi mœnibus depulit, & numero præſidentes barbaros, intra fines imperii ſui plenos cladis, & ignominiæ retruſit. Hæ, aliæque virtutes lætius efflorueranr in Mathia Rege Joannis filio, ut mox dicetur.

Uladislaus, in quem jam Proceres conſenſerant, niſi Regina ſexus virilis Principem eniteretur, imperium perbreve habuit, a Turcis ad Varnam interemptus. Sub ejus fata Ungariam Gubernator rexit Michaël Szilagius, cujus præcipuum in Ungariam meritum, Mathias Corvinus, eo adnitente ſceptris admotus.

Genus ſuum Mathias ad nobiliſſimam Corvinorum familiam referre viſus eſt, dum ſtemmatis Corviniani inſigne pro ſuo adoptaverat, quemadmodum e nummis ejus, & aliunde liquet. Cæterum ſtirps, unde profectus Mathias, *una omnium nobiliſſima* tota Valachia erat. Fuit vero Princeps hic ævo ſuo longe ſpectatiſſimus; quique Turcas ex omni Europa exegerat, ſi quam armis Chriſtiani Principes valent, tam invicem concordes agerent. Adverſarios nactus plerosque vicinos Principes, eorum neminem niſi victum dimiſit.

Igitur cum clarere amplius armis nequiret, pacis artibus niteſcere conſtituit. Eas itaque ab Italia, ubi ſub Medicæis Principibus maxime florebant, Budam accit, eumque honorem habet, ut ſoli patrii facile obliviſci poſſent. Atque primus hic Regum noſtrorum ſcientias pro merito æſtimaverat.

Idem Regnum percolere artibus inſtituit. Hæc præclare facta prompti aditus, facilitas, & munificentia gratio-

tiora præſtabant, quæque hodiedum ore omnium celebrantur virtutes aliæ. Neque ex omnibus Ungariæ Regibus fama cujusquam apud poſteritatem proſperior, ac quem nunc exequor, Mathiæ Regis.

Sed enim fortunam ubivis propitiam nactus, eam domi malignam habuit, nulla e Beatrice Regina ſublata prole. At vero e nobili Sileſia, nomen vetuſtas hauſit, dum in hac Provincia bellum circumfert, Joannem Corvinum ſuſcipit. Plurimus erat Mathias Rex, in ſobole hac formanda; neque dubium eſt, virtutibus, ac rebus geſtis, ut ore retulit, patrem exhibuiſſet, ſi aliquando Regni gubernaculis admotus fuerat. Attamen ea quidem in re ſpe ſua falſus eſt optimus Princeps, Proceribus Joannem filium Regem abnuentibus. Sunt, qui exiſtimant, Religioni ſibi duxiſſe Optimates illius accipere imperia, qui thori præpoſteri fructus eſſet; quaſi vero ignoraſſent, ea in re præluxiſſe ſibi nobiliſſimam Francorum gentem, cum Caroli Martelli ſtirpem, paribus

 ini-

initiis ortam, suo, & Christiani orbis emolumento maximo suffecerant Merovingiis. Ego præstructum Joanni ad solium iter, reputo, quod verentur Optimates, ne paternis vestigiis insistere volens, prærogativas Regni accisum iret patris exemplo, qui ea de causa Proceribus minus charus, ut contra plebis, quam pro viribus sublevabat, amor, & delicium erat.

Rejecto igitur vero proxime talem ob causam Joanne Corvino, quem si patri surrogassent, aggerem insuperabilem objecerant malis, quæ per duo sæcula Ungariam fatigabant, sceptris admovent Uladislaum, ac secundum ejus fata Ludovicum filium, id nominis utrumque secundum Ungariæ Regem, qui rem nostram in præceps egerant.

Uladislaus Pater umbraculis hortorum abditus, dies in otio terere, infringere vim militiæ, laxata disciplina, Regni propugnacula negligentius habere, quibus malis fortasse occurrisset *Ludovicus filius, nisi bello omnium gravissimo*, vix pubertatem egres-

egressus lacessitus fuerat. Certe quidem prælusit egregiis facinoribus, quod juvenis admodum alacritatem miram, animumque altum, atque erectum præ se ferret; nec non laborum ultra ætatem patiens esset.

Verum mihi res nostræ periodum suam jam tum absolvisse videbantur, cum Regi adolescenti, & qui a patre partibus omnibus imbecillum Regnum acceperit, æmulus obtigerat Solymannus, omnium Turciæ Principum facile primus, certe quidem nemine inferior. Huic cum occurrisset ad Mohacsium, Provinciæ Baranyiensis oppidum, ingenti prælio vincitur, cui superstes ipse, dum fuga sibi consulit, locorum ignarus, lacu mergitur, fato meliore dignissimus Princeps.

En Reges e domo mixta profectos, quibus ultimo loco Joannes Zapolius adjungendus venit. Plerisque eorum necessitudo cum antecessoribus Regibus aditus ad solium fuit. Bellis civilibus, paucis demtis, fatigati singuli; *an mirum igitur, si publicis neglectis*, privatis rebus unice studebant.

A fatis Ludovici Regis Optimates cladi superstites; nam plerosque ensis Turcicus, vel circumjectæ Mohacsio paludes hauserant, in unum coëunt, de successore soliciti. Quod si unquam, certe concordes esse oportuerat eo tempore, dum Solymannus Regni viscera popularetur. Sed enim infelici Ungariæ fato in studia diducti, alii Comitem Scepusiensem, alii Ferdinandum Archiducem, Reges dicunt. Illi origo domestica, opum amplitudo, clientelarum numerus, atque etiam inanium ostentatio quædam, huic Anna Conjux Uladislao Rege genita, ultra pacta Maximiliani cum hoc Uladislao gradus ad solium fuit.

Verum hoc utcunque sit, Joannes Albæ-Regiæ veteri Pannonum more Corona Sylvestrina Rex evinctus est. Atque in eo verticem Patrium ultimo incinxerit Diadema domesticum, quantum a præsentibus ad futura conjectura valemus.

Sub idem tempus Ferdinandus in Ungariam accitus a Bathorio Palatino jus suum armis persequitur. Proinde hoc

hoc tempore bello triplici ardebat Ungaria, Ferdinando, & Zapolia palam hostibus, Solymanno alterum aperte, clam alterum atterente, qui tamen mox a Joanne steterat potentiæ Austriacæ formidine, quam in immensum intentam vidit Ungariæ, ac Bohemiæ accessione, ut Solymannus consilio non minus, quam armis valebat.

Joannes ob societatem cum Turcis initam anathemate percellitur, quod per Ungariam vulgatum res ejus maxime afflixit. Illorum temporum annotavere scriptores, Franciscum primum Francorum Regem cum eodem Solymanno societatem impune coluisse. Cæterum Joanne superstite nulla inter æmulos Reges solida pax; quo e vivis exempto pacis imago quædam Ungariam recreavit. Sed & Ferdinandus non diu solus rerum potitus, explevit mortalitatem.

Erat Princeps hic cum aliis ornamentis conspicuus, tum a pietate comendatissimus; quemque nonnulli Protestantum suis perperam adscribunt; fortassis materia cavillandi inde peti-

ta, quod in conventu Tridentino per Oratores ſuos ſacris curionibus ſubjectarum Provinciarum Græcæ Eccleſiæ imitatione conjugia concedi petierit. Sed profecto is tali ſubſidio corruptelæ ævi illius, quæ in immenſum proruperat, occurrere ſatagebat, rebus in melius mutatis, citra dubitationem ſplendori Eccleſiæ conſulturus; ut minora mala ſæpe maximis pro medicamento ſunt.

Maximilianus bella graviſſima cum Turcis geſſerat alternante fortuna. Cæterum metallis colendis intentus, Codicem huic Reipublicæ parti dedit.

Rudolphus ſuper extera bella, graviſſimis domi etiam vexatus, unum omnium difficillimum Regnum habuit. Factioſorum Dux Bocskajus, obtentu Religionis, & immunitatum regni defenſandarum ſignum in Regem ſuſtulit. Res ita habuit. (r)

Primorum nonnulli novarum rerum cupidi, clandeſtinis conſiliis defectionem a Rege moliebantur: adſciti in ſocietatem perfidiæ ex omni nobilium nu-

(r) Memoires du Prince Rakoczi Tom. 1.

numero, quos abhorrere a Romanis inſtitutis, aut Rege norant. Cum eo numero coiviſſent, ut ſe æmulos Rege dignos credere poſſent, de capite deliberant. Solicitos ea de re Bocskajus facile in ſe convertit, claritudine generis, pecuniæ magnitudine, ingenii calliditate omnes Ungariæ Proceres ſupergreſſus. Verum ei meditata pandere veriti, quod prima juventa apud Germanias acta mores peregrinos hauſiſſet; igitur tali fraude graſſari placuit.

Literas, vulgo cœcas dictas, quod authoris nomine diſſimulato ſcribantur, Cæſareo Polemarcho Baſtæ inſcribunt, quibus Bocskajus rebus novis ſtudere inſimulatus; nec minus literas Bocskajus accipit, quibus ſignificabatur, inſidias ſibi a Cæſareis ſtrui, daret operam, ne in eas ſe indueret, Sigetho ocyus excederet, atque ita exiſtimaret, ſi vel biduo ea in urbe ſubſiſtat, ſe Baſtæ inſidiis excipiendum. Hæ erant factioſorum literæ. Bocskajus conſcientia tutum ſe ſatis adverſus quæque machinamenta reputans,

tans, animum obfirmat, certus Sigetho non excedere. Nihilominus magnitudine periculi in momenta penitius introfpecta, argumentum epiftolæ cuidam ex intima familiaritate aperit, confilium expofcit. Illo tutiora præ ambiguis amplectenda differente, Sigetho excedit, atque eventum rei e proximo fpeculaturus, juga urbi imminentia cum fuis infcendit pridie diei illius, qua fe iri captum e literis intellexit. In jugis abfumptus eft dies explorando: quo in vefperam flexo, eminus fpectat Germanorum manum Sigetho propinguare, recipique. Tum vero authorem epiftolæ, quisquis effet, fervatorem fuum compellare, vocibus fauftis profequi. Centurio urbe omni luftrata ad Baftam revertit, occupatas infidias docens.

At Bocskajus Deos, hominesque appellans, innocentiam fuam, tentamenta Baftæ per omnem Ungariam fparfis literis manifeftam facere, utque mentibus ægris in promptu facundia, intendere. Sive cupidine rerum novarum, feu Regis, ac regiminis odio

odio ex omnibus Ungariæ Provinciis frequentiffimi fub figna convolare, Regis reverentiam exuere. Dehinc audentior ipfe auxilia extera circumfpicere. Vicinarum gentium malum commune, rivalitas, facile perfuaferat, ut Turcas votis fuis faciles fore crederet, & quia crediderat, habuit. Bello parta decora erant: libertas fentiendi, ampliffima in eum, & præcipuos fequacium translata bona, ultra Tranfylvaniam fibi affertam.

Altero adhuc magis domeftico vexatus eft malo Rudolphus. Mathias Archidux obtinere, quam expectare, dum mavult fceptra, Illeshazii Palatini opera fratrem folio Ungarico demovet. Verum hæc diffenfio intra Penates domefticos fteterat, neque exinde mali quidquam in Rempublicam provenit. Preffus tot malis fuccumbit demum Rudolphus, vivereque, & imperare defiit.

Mathias, vifo, reftinctum iri fecum domus Auguftæ ftirpem, quæ in Auftria confedit, Ferdinandum Carolo Archiduce genitum fuccefforem de-

destinat, quem etiam Ungari suffragiis liberis Regem dicunt. Intercessit Gabriel Betlemius electioni Ferdinandi, genus obtendens, quod is ea domus Austriacæ stirpe genitus, quæ Græcii substitit. Velamen id erat ambitionis, reipsa regnum affectabat. Igitur fœdere cum Turcis inito Ferdinandum bello appetit. Ungarorum exemplum ad Bohemos valuit, qui & ipsi facta a Ferdinando discessione Septemvirum Palatinum Regem incingunt. Sed hujus conatus pervertit pugna, pro Pragæ mœniis Maximiliano Duce Bavaro belli Imperatore pugnata; cujus rei præclare gestæ Septemviratum, quo Fridericus Palatinus excidit, præmium tulit. Betlemius, quamquam Friderici fortuna ejus quoque res infregerat, bellum tamen sustinuit per sese, quod denique pace, neque inhonora, neque infructuosa terminat. Ingens animi, & visu Betlemius erat, quæ decora ingenium erectum, ac tractandarum rerum dexteritas maxime intendit.

Ferdinandus III. Gallicis Suecicis, Turcicis, acdomesticis turbis exagitatur quam qui maxime: moriens in Leopoldum admodum juvenem regnum transfert. Leopoldus tot vicissitudinibus exercito patri suffectus, diuturnitate Imperii, promotis, vel defensis Imperii finibus, majorum suorum plerosque supergressus est. Vitam ejus privatam quod spectat, semel ac iterum conjux, nullam e Claudia & Felicitate, illa Hispaniarum infante, hæc Austriacæ stirpis, quæ in Tyroli consedit, Principe prolem sustulit. Materies inde conventui apud Turoczienses thermas quæsita. Accepta demum in matrimonium Eleonora Neoburgica, Josephum & Carolum ex ea suscepit.

Diadema Ungaricum nulli domui ad id temporis vectigale, tunc primum hæreditarium fit, Josepho ea lege Rege dicto, ut omnis ejus posteritas sexus virilis, nec minus Caroli Fratris, Regni possessionem hæreditario jure capesseret. Præcavendis domesticis turbis tale subsidium repertum est; sed idem magnam populi partem in bellum egit Tökölio partium Duce.

Ve-

Verum ejus conatus irritos fecit, profligatis ad Zentam Turcis Eugenius Princeps a Sabaudia, fatale in exitium Turcarum nomen; quo minus idem novi domestici belli Duce Rakoczio femina opprimeret, bellum Gallicum offecit. Quorum utrique Leopoldus immoritur, Europam bellis implicitam fere omnem relinquens.

Quandoquidem Leopoldi, Ungariæ recuperatoris, res gestas exequimur, quærere lubet, an soli Turcis exigendis fuissemus Ungari, quemadmodum Nicolaus Zrinius is, qui in Sylvis Csaktornyensibus ab apro interemptus, commonstrare adnixus est libro, lingua patria scripto, cui titulus: *Ne Bánes*, id est, ne impedi. Equidem bona herois maximi venia sustinuerim, Ungariam, eo tempore Turcis exigendis vix fuisse, cum potiore sui parte jugum Turcicum ferret.

Josephus, qui primus sceptrum Ungaricum jure hæreditario accepit, intra temporis brevissimi spatium, nec enim nisi sexennio imperaverat, omnes longissimi regni eventus prospe-

ros

ros conclusit; & fortasse ex omnibus Principibus Austriacis nemo Carolo quinto propius accesserat, si vita mansisset. Laudum ejus apud nos cumulus est, quod genti Ungaræ perquam facilis esset. Quid enim reliquit intentatum, quo Rakoczius cum suis arma poneret? missi ad eum Administri, quos præ cæteris claritudo generis, venustas eloquentiæ, & morum elegantia commendabat; quibus nil proficientibus ex intima familiaritate Comitem a Wratislau ad Rakoczium mittit, monetque, ne Cæsaris benevolentiam post exterorum Principum promissa haberet. Rakoczius suorum consiliis in transversum actus, cum domi Principalem fortunam habere posset, exilium nedum inter Christianos, verum apud Turcas antetulit, apud quos etiam finem vivendi fecit. (s)

Secundum Josephi fata Carolus, & ipse Leopoldo Patre genitus, ab Hispaniis accitur, ac Provinciarum Augustæ domus possessionem capessit. Fati lege occulta vergebat Austriaca domus,

H

(s) Memoires du Prince Rakoczi Tom. 6.

mus, ſtirpe virili negata Carolo ultra Leopoldum Principem, qui ſpes Genitoris, totque populorum vix anno vertente tumulo intulit. Carolus inde incolumitati ſubjectorum populorum Sanctionem Pragmaticam, cui plerique Principum exterorum adſtipulati, vulgat; ea prior annis Filia hæres dicitur: ſecuti exemplum cæterarum Provinciarum Ungari, Principi huic hæreditarium faciunt Regnum.

Vicem Auguſta Thereſia rependit ingentibus in Ungariam collatis, quæ jam paucis dabo, benefactis.

Loco principe commemorandum, quod Auguſta ſuam in noſtram gentem teſtatura voluntatem, priori annis Principi, hodie Auguſto Romanorum Imperatori, Ungara de gente Moderatorem juventæ dedit. Unde confieri pronum erat, reperiri apud nos viros non degeneres ab ævo illo, quo res noſtræ cum maxime floruerant; neque, ut criminantur exteri, virtutem priſtinam in Ungaria penitus conſenuiſſe.

Pro-

Proximum huic eſt, quod ea imperante diverſas Principum exterorum aulas adierint negotiorum adminiſtri complures e noſtris Optimatibus. Iſtud enim vero nunquam uſuvenit, ex quo domus Auſtriaca Regni moderamen capeſſivit.

Scientiæ, abs quibus ſi eſt, languet ſcilicet omnis Respublica, eum ad modum apud nos quoque inſigniebantur, qui ſuperioribus ſæculis orbe toto obtinuit cum detrimento Reipublicæ; at vero Auguſta ſuum Muſis politioribus leporem, ſtudio naturæ adminicula ejus noſcendæ, ſuam Theologiæ dignitatem circumdedit; ut jam minime oporteat ſcientiarum arripiendarum ergo Athenæa extera petere.

Militiam domeſticam ad hoc temporis fere legiones aliquot levioris armaturæ equitum abſolverant; perdoluit enimvero nationi, quod ad arma nata in otio obſoleſcat. Auguſta legionibus compluribus peditumque, & equitum ſcriptis querelis his occurrit.

Serebantur lites de regni finibus, qua præcipue Auſtrios, Styros, ac

*Moravos aſpicit: Auguſta viros re*rum patriarum peritos deligit, qui de finibus regni cognoſcerent, reperterent quoquo modo abalienata, invicem temporum injuria adjecta redderent.

Denique Prætorianus miles e domeſtica nobilitate conflatus, nova Auguſtæ in nos ſignificatio benevolentiæ, novum regno decus. Super hoc ordo equeſtris Divi Stephani conſtitutus: juventuti educendæ pluribus in locis poſita contubernia, nobilitati *ſuus honos aſſertus*, expunctis, qui temporum iniquitate in hunc ordinem irrepſerant, regnum latrociniis purgatum, fines ejus novis prepugnaculis communiti, aliaque longe plurima; totidem ſunt Auguſtæ Thereſiæ in nos monumenta voluntatis.

CAPUT X.

Officia Politica.

Primus apud nos Magiſtratus Palati*natus eſt: quo audito nomine Pri*moribus Poloniæ communi, cave vim ean-

eandem utrobique ſubeſſe putes. Palatini apud Polonos Præſides Provinciarum audiunt; enim vero Polonia in Palatinatus diſpeſcitur, ut ipſi Ungariam in Comitatus diſtribuimus; proinde Polonis Palatini, qui nobis Comites ſupremi.

Apellatio Palatini a Regum Palatio nomen trahit, quod Magiſtratus hic inſtitutus ad rectam Aulæ adminiſtrationem; unde Palatinus Ungaris Nandor-Ispány dicitur, id eſt, Aulæ Curator. Prope pari initio Palatinalis in Imperio Romano dignitas orta; ſed mox utrobique vim aliam accepit.

Si vetuſtatem Palatinatus ſpectes, Regno coævus eſt; ejus prærogativæ vero a Divo Stephano inchoatæ, ab Andrea II. auctæ, a ſucceſſoribus Regibus ad eum, quem hodie ſuſpectamus, gradum celſitatis provectæ ſunt.

A primordio Regni Palatinus aulæ negotia curabat, Regum juribus invigilabat, ſimul exercitus noſtros bello coorto Imperator regebat. (t) Andreæ ſecundi voluntate Judex Regno da-

(t) S. Stephan. Decr. lib. I. cap. 8.

datur. Verum annuus fere, ut Bela quarto Rege, aut paulo diuturnior primis sæculis Magistratus hic erat; dum Ludovicus II. eum perpetuum effecisset. (u)

Comitia anni 1485. prærogativas Palatinales in luce ampliore posuerunt, hæc vero sunt.

In electione novi Regis Palatinus primum votum habet.

Idem Regis tutor est.

Oratores audit Rege infante, vel admodum imbecillo.

Est Regis absentis Locumtenens, ac comitia indicit; nempe Rege infante, vel absente.

Est generalis Capitaneus: inde motus demesticos mediator Regis, & Regni componit.

Denique Cumanorum & Jazygum, nec non Dalmatiæ Judex est.

His accedit, quod Palatinus potestate valeat, dicendi nobiles, qui subin a Rege confirmantur: quid? quod triginta duas, ut dicimus, colonicales possessiones concedere Nobilibus a se dictis; denique caducitates triginta duo-

(u) Ludov. 2. Decr. Art. 22.

duorum millium in necessarios defuncti transferre possit, nisi Curatores Fisci jus hoc Palatinale antevertant.

Dignitas hæc ad Leopoldum Cæsarem illibata mansit; at vero Princeps hic gravibus de causis, quas commemorare hoc loco necesse non est, eam abrogavit, Gubernatore suffecto, sed mox eodem authore munus Gubernatoris antiquatum, Palatino Ungaris dato. (x)

Observare libet, Palatinatum nequaquam vacasse, verum novo ac pleniore honoris vocabulo duntaxat mutatum, dum Joannes Corvinus, & Michaël Szilagius Gubernatores rem nostram curabant. Enimvero hi cum statuum consensu leges adeo tulerunt; at enim non ea potestas Gubernatoribus Carolo, Ernesto, ac Mathiæ Austriæ Principibus, & Ambrigenio, qui ultimus apud nos Gubernator.

Modus dignitatem hanc conferendi is est, ut Candidatos ternos Rex Statibus proponat, e quibus ipsi proclamant

(x) Vide Comit. Sopron. Art. 2.

mant Palatinum, ut maxime idoneum quemquam huic Faſtigio exiſtimant.

Munus Locumtenentis Palatinatui affine eſt; ut nomen ipſum notat, vicaria Regis poteſtas; attamen prærogativas quod ſpectat, Palatinatu inferius eſt. Dignitas Locumtenentis unius Regis arbitrio datur, qui eam intendit beneplacito ſuo.

Judex curiæ Regiæ præcipuus a Palatinatu, vel eo vacante, a Locumtenente Regni Magiſtratus hodie, olim duntaxat Aulæ negotia Palatino abſente curabat. (y) Muneris hujus originem pluribus dabo.

Vetuſtis temporibus Regibus, Primoribus, Comitatibus ſui Judices Curiæ erant. In Comitatibus altera a ſupremo Comite hæc dignitas erat; ea functus Provinciæ immunitates illibatas ſervabat, quod hac tempeſtate Vice-Comites præſtant; Curiæ Optimatum judices rem eorum domeſticam curabant: Regum vero jus Aulicis reddebant. Sub annum 1300. Judex Curiæ Regiæ Regni judicatum more Pa-

(y) S. Ladislaus Decr. lib. 3. cap. 3.

Palatini conſequitur, quod ſubinde in leges Publicas relatum. (z) In Aula vero Magiſter Curiæ Regiæ ei ſurrogatus, dehinc Aulæ Curator, & Judex Aulicorum.

Banatus Sclavoniæ tertia Regni dignitas. Appellationis origo, ut obſervat Timon, (a) e Sclavico ſermone eſt, quo dominum notat. Banatus initia ad Divum Ladislaum referenda; qui adjecta Ungariæ Illyrici parte, Banum appellavit, quem Curatorem novis Provinciis impoſuerat. Poſt, voluntate Regum aliorum plures huic acceſſere Banatus; in primis vero Ladislaus Chunus eorum numerum auxit. Præcipui erant: Machovienſis in Servia, Severinenſis in Valachia, Temeſienſis in Mæſia ſuperiore.

Banis affines tres Vaivodæ, ſcilicet Daciæ Mediterraneæ, Cis, ac Transalpinæ: ſic appellavere Majores noſtri Præfectos, qui Provinciis his jus reddebant.

Magiſtri Tavernicorum, alias The-

(z) Uladisl. 1. Decr. Art. 42. (a) Imag. Ung. Nov.

ſaurarii, vel Comites Cameræ, Regium Peculium id eſt, civitates liberas, Bona Coronæ, nec non officinam monetariam, quæ Budæ erat, ac Tabularium Aulæ ſanctius curabant. Subinde Reginis etiam, ac emancipatis Regum Filiis proprii Magiſtri Tavernici. (b) Theſaurarii meminit Bela quartus in Diplomate, Præpoſituræ Beatæ Virginis de Turocz dato; (c) Ludovicus vero ſecundus docet ſingulas muneris hujus partes. (d) Theſauratui ſubſtituit Ferdinandus I. Cameram Poſonienſem.

Magiſter Agazonum non equos modo Regios ſumma cum poteſtate curabat; verum etiam militiæ Prætoriæ præerat.

Pincernarum, Dapiferorum, nec non Magiſtri Cubiculariorum, & Janitorum muneris partes appellatio ipſa in aperto dat.

Finibus Regni defendendis apud nos, ut Marchiones olim in Germania, Comites Poſonienſis, & Temeſienſis impoſiti, quibus poſtea plures ac-

(b) Diplom. Steph. 5. (c) Anno 1252.
(d) Vide Decr. Anni 1526.

acceſſere, ut Caſtri Ferrei, aliique. (e)

Magiſtratus modo recenſiti majores regni Barones erant, illis demptis, quibus appellatio Magiſtri præfigitur; nam vox hæc Regni Baronem minorem notat. Baronum nomina, Regum Diplomatis inſerebantur, quo his plenior fides conſtaret. Andreas II. præcipuos quatuor Regni Magiſtratus Jobagyiones appellat. (f) Verum appellatio hæc poſt traducta eſt ad cultores agrorum ſignificandos.

Comites ſupremi ii dicuntur, qui Comitatibus jus reddunt; at a Regni principio rem Regis familiarem curabant. (g)

De Perſonali Præſentia Regis poſt agemus.

Complementi inſtar capiti huic adjungendum Conſilium Locumtenentiale. Præceſſi hujus ſenatus Carolus ſextus author eſt. (h) Nil melius a Principe ſapientiſſimo dari potuit Ungariæ perpoliendæ. Authoritas ejus toto Regno

(e) Decret. Andr. 2. apud Otrokoczi in Hiſt. Eccl. Ung. inedita. (f) Decret. An. 1222. (g) Timon. Imag. Nov. Ung. cap. 9. (h) An. 1723. de quo vide Art. Anni hujus 97.

gno ſumma eſt; ac ex vero ſive Gallicis, ſive Anglicis Supremis Curiis illum contenderim. Componitur autem e Præſulibus, Optimatibus laicis, ac nonnullis ex ordine equeſtri. Omnem igitur nationem in compendio exhibet. Intendere viſa beneficium a Genitore inchoatum Auguſta hodie regnans; etenim viſo, tot negotiis minime ſufficere Senatum hunc, utut perfrequentem, quot Regno ampliſſimo, atque etiam Illyrico, qua Regibus noſtris paret, ſe dant; Provincias Illyricas a Conſilio Poſonienſi abjunxit, novoque ſubdidit, quod ipſa Varasdini, urbe Croatiæ ad Dravum, ad ejus normam ſtatuit, quod ſaluti Ungariæ erectum eſt.

CAPUT XI.

Jus Patrium.

Codex noſter, uti gentium omnium Juſtinianæum pro baſi habet; ex quo complura ad literam translata, alia paulum immutata Jurisprudentiæ noſtræ inſerta ſunt.

Hanc

Hanc ipſe quadrifariam divido, ut quaterna objecta reſpicit, ſcilicet jus Eccleſiaſticum, Nobilitare, vulgo *Conſuetudinarium*, Municipale, & Metallurgicum.

Jus Eccleſiaſticum abſolvunt leges diſciplinæ Eccleſiæ conſervandæ, vel inſtaurandæ a Regibus noſtris, vel Synodis Provincialibus datæ. Hac de re cum diſſero, ut ne quisquam in jus me vocet, præmittere libet, mihi tria legum genera eſſe; nempe politicas, quibus publica felicitas, ſacras, quibus cultus Numinis procuratur, tertio loco leges eas pono, quæ objecta, in confinio Imperii, & Eccleſiæ ſita, ſpectant.

Leges politicæ quinam apud nos ferantur ſupra dictum eſt; ſacras, ſi illa Sacramenta, & id genus objecta, in quæ ſoli Eccleſiæ jus, reſpiciant, ſolius Eccleſiæ condere eſt; at vero objecti, ut ita dicam mixti, Synodis Provincialibus, & Regibus noſtris ex uſu temporum multas latas fuiſſe, ambigi nequit.

Reges quod ſpectat, Codicem Patrium

trium inſpicienti manifeſtum fit, complura eos ſanxiſſe, diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſeu conſervandæ, ſeu inſtaurandæ idonea. Divus Stephanus edicit, ne quisquam quatuor temporibus, & diebus Veneris carnibus veſcatur. (i) Sanctus Ladislaus gradu privari mandat Presbyteros, & Diaconos bigamos, niſi dimittant uxores. (k) Plura in hanc rem adferre non vacat. Leges a Synodis Provincialibus conditas conciliorum horum collectores paſſim enarrant. Juris Eccleſiaſtici Patrii partem priorem nuper in lucem emiſerat Illuſt. ac Doctiſſimus Paulus Joſephus a Rieger.

Nobilitare jus id mihi eſt, ad cujus normam nobilesque & cives, ſed inprimis nobiles, mores ſuos exigunt, rebus ſuis incolumitatem præſtant, dum injurias illatas reparant, abalienata repetunt. Hæc Jurisprudentiæ noſtræ pars in eo fortaſſe laborat, quod lites in longum producat. At certe morbos Reipublicæ, ut corporum profligari ocyus, maxime refert. Stepha-

(i) Decret. lib. 2. cap. 9. 10. (k) Decret. lib. 1. cap. 1.

phanus Verbœczius Uladislao II. Rege hanc Jurisprudentiæ partem in unum collegit, quæ poſt a comitiis eodem Rege habitis robur accepit. (l)

Jus municipale appello, unde liberæ civitates felicitatem ſuam procurant potiſſimum; nam leges, quas modo retuli, cum nobilitate civibus juxta communes ſunt; attamen, quo hi ad artes colendas magis exſtimularentur, & immunitates urbibus conceſſæ, & vero leges etiam complures datæ, quæ nobilitati cum civibus nequaquam communes. Has igitur immunitates, & leges Jus Municipale continet. Immunitates ſuas urbes liberæ ſtatoribus ſuis debent; leges vero, quas ſibi proprias habent, aut per Magiſtros Tavernicos Rege jubente, aut alios Regis Adminiſtros iisdem dictæ.

Jus Metallurgicum Maximilianus ſecundus Jurium conſultiſſimis in conſilium adſcitis, huic Reipublicæ parti dedit. Ejus eapropter hoc loco meminiſſe viſum eſt, quod Juris Metallurgici ſcientia ſit e neceſſitate cauſidicis, qui de-

l) An. 1514.

degunt in locis, ubi fodinæ Metallorum. Id peculiare Codici huic, quod ad Jus Patrium recurrendum moneat, si lis indidem explicari nequeat.

Cæterum & illud ad calcem capitis hujus adjiciendum, passim in Jurisprudentia nostra, sacra, ac profana, Strigum, Lemurum, incuborum nomina re inania occurrere; neque minus purgationes per ignem & aquam; ac detestandum duelli judicium, (m) quæque alia olim certissima veri eruendi habita subsidia; hodie vero pro ancipitibus inprimis, & ambiguis habentur.

CAPUT XII.

Regni Dicasteria.

Rex apud nos *summus Justitiarius* Rex cum audiat, confieri inde pronum, eum esse Judicem supremum Regno toto; at vero quod ipse jus populis dicere per magnitudinem negotiorum non queat, *Personalem Præsentiam* sibi suffecit, quem Magistratum summus Can-

(m) Decr. Andr. 2. An. 1231.

cellarius semper gessit. Hæc prima omnium apud nos juris dicundi ratio, ac sola ad Colomannum Regem, qui quot annis in singulis Diœcesibus binas Synodos Comitum Parochianorum, & aliorum Provincialium Magistratuum cogi præcepit, in quibus de litibus exortis pronunciaretur. Ad hoc constituendum Colomannum id causæ perpulit, quod cum *Curiam Regalem* per molestiam itinerum, aut rei familiaris tenuitatem injuriis lacessiti cives adire sæpe non possent, querelis eorum mederentur Synodi. Sed & Reges ætate hac Provincias obibant, & adscitis in partem laboris Provincialibus Magistratibus controversias civium ipsi dirimebant. Hic modus judicandi *Megæ Regis* Judicium appellatur. (n)

Subinde Andreas II. Palatinum Regno judicem dedit; nam antea solos Aulicos judicabat; at vero Principis hujus voluntate, donec in Curia moraretur, causas quasvis explicandi, potestas ei fit; nihilominus extra Curiam positus, rursus nonnisi Aulicis in-

(n) Decr. Coloman. lib. 2. cap. 37.

instituto veteri jus dixit. Quoniam vero Palatinum gravissima negotia sæpe aliorsum avocabant a Curia, secundus Regno Judex a Rege datur, (o) qui absente ab Aula Palatino jus civibus diceret; Judex Curiæ Regiæ hodiedum appellatur is. En progressum judiciorum nostrorum.

Domo Andegavensi rerum potiente, Palatinus relicto apud Aulam Curiæ Judice regnum lustrabat, & fere sub tentoriis degens de controversiis civium pronunciabat. *Judicium Palatinale* hæc judicatus forma nostris appellatur.

Tres igitur jam numeramus ordinarios regni Judices, Regem, Palatinum, ac Judicem Curiæ ultra summum Cancellarium. Regem mole negotiorum pressum *Præsentiam Personalem*, sibi surrogasse, supra retulimus; neque minus munere hoc functum eundem, qui summus Cancellarius esset; jam vero cum Cancellarii dignitas Primatui annexa esset inde a principio, Primas eadem de causa nimirum ex magni-

(o) Sub An. 1300.

gnitudine negotiorum *Locumtenentem Præsentiæ Personalis* sibi sufficit, qui quartus Regni Judex. (p)

Exemplum Primatis valuit ad cæteros Regni Judices, qui & ipsi alios sibi potestate vicaria sufficiunt, ac inde enata Vice-Palatini, Vice-Judicis Curiæ &c. munera. (q) Ultra hoc suus judici Regni cuique Peristaldus, seu Proto-Notarius erat; hi vero in acta referebant lites terminatas, literas *adjudicatorias* mittebant, causas finitas remotis obstaculis effectui dabant.

Sub idem tempus Magistratibus Comitatuum potestas fit, causas argumenti levioris terminandi. Hi judicatus *Pedanei*, id est, ad pedes Comitum, seu sub eorum præsidio fieri soliti, nostris dicuntur. (r) Hæc juris dicundi ratio ad Carolum I. obtinuit, qui *judiciarium processum*, nempe rationem inchoandi, persequendi, terminandi controversias, e Gallia attulit. (s)

Sigismundo Rege a judicio *Pedaneo* ad

(p) Math. Decr. 6. Art. 68. (q) Andr. 2. Decr. 2. Art. 9. (r) Andr. 2. Decr. 2. Art. 5. (s) Verböcz. Oper. Tripart. part. 2. Tit. 6.

ad ordinarios Regni judices appellationes fieri cœptæ ; qui causas ad se devolutas per Vicarios suos expediebant. Hæc forma judicandi *Octavalia Judicia* vocantur ab octavo die festorum, quæ illis habendis præfixa, alio vero nomine *Curia*, vel *Tabula Regia*.

Cum vero etiam Vicarii Ordinariorum Judicum per varia impedimenta litibus dispiciendis non essent, Proto-Notarii accepta potestate, vel mandato a Judicibus Ordinariis *causas limitatas* dirimebant; ab his vero Peristaldis appellationes fiebant *ad Tabulam Regiam*, indeque ad *septemviralem*: quarum utraque occasione *Generalium Octavalium*, seu *Brevium Judiciorum* habebatur. Quod vero lites propemodum infinitæ sererentur toto Regno ob justitium annorum eorum, quibus Regnum magna sui parte jugo Turcico subdebatur, Carolus VI. Augustus perpetuam *Tabulam Regiam*, & *Septemviralem* per intervalla instituit.

En compendio datum judiciorum nostrorum ortum, progressum, & variam

riam sortem. Unde jam facile eruitur, seu Dicasteriorum numerus, seu litem aliquam inchoandi, & persequendi ratio. Primum igitur reo, si is conspicuus nobilitari prærogativa, dies dicitur apud Provinciæ Magistratum ; si vero civis sit, apud Prætorem urbicum. Forum huic proximum est *Tabula Districtualis*. Dicasteria id nominis, quaterna Regno toto sunt, Caroli Cæsaris benevolentia Proto-Notariis, de quibus egimus, suffecta. Eorum singula e Præside, Assessoribus quatuor, & Notario componuntur.

Ab hinc Tabula Regia litigantibus subsidium est, quam Princeps idem, & perpetuam fecit, & numerosiorem, ac antea ; enimvero eadem hodie e pluribus seu Ecclesiastici ordinis, sive e profana Regni nobilitate membris componitur ; Præsidium in ea *Præsentiæ Personali* jam supra attribuimus. Ultimum denique litibus dirimendis institutum Tribunal, Tabula Septemviralis. Hujus vero, omni appellatione præclusa, sententiæ standum. Hoc Dicasterium e nobilissimis quibusque

que conflatur Status utriusque. Summa cum potestate ei præest Regni Palatinus, aut hoc per negotia aliorsum excito, Judex Curiæ, vel unus aliquis e Regni Baronibus. Et hoc Tribunal beneficentiæ Caroli Augusti in nos monumentum; sedes vero hujus, atque Tabulæ Regiæ, est contra Budam posita urbs Pestinensis.

CAPUT XIII.

Res literaria.

Carolus Magnus scientiarum omnium Universitate Parisiis constituta, reliquis Europæ Principibus facem prætulit ignorantiæ profligandæ, quæ late obtinuit, ex quo versæ scientiæ per Barbarorum in Romanum Imperium irruptiones; simul vero novum laudis genus, neque antecessorum suorum cuiquam cognitum, sibi quæsiturus. Enimvero antea non eum ad modum, sive politiores artes, seu quas disciplinas severiores appellare libuit, insigniebantur. Ut quisquam seu orandi facultate, seu subtilitate argutandi,

seu

seu quo alio scientiæ genere valuit, & ignobilium, honestarumque juxta artium commune malum æmulorum invidiam supergressus est, celebrabatur scilicet ab iis, qui vel procul a Republica ætatem degere in honorato otio decreverant, vel olim ad Rempublicam accessuri, excolere animum idoneas per artes satagebant. Præceptores hi diversi locis, scientias singulas accurrentibus discipulis tradebant. Potissima igitur orbis pars peragranda erat, si quispiam & orandi vim, & placita philosophica, & cursus siderum, & temporum eorum fabulosam Theologiam, & Theogoniam voluit arripere; quemadmodum Historia literaria de Pythagora, Platone, atque aliis, quos eruditio quæsitior protulit ad famam, refert.

Exortis mox a data Ecclesiæ pace magno numero Religiosis Familiis, scientiæ fere iis solis tradebantur, quemadmodum apud Ægyptios olim obtinuerat, ut fere Sacerdotes literas profiterentur. Sed enim non eum ad modum, qui subinde valere cæpit,

 scien-

ſcientiæ docebantur, nempe ut cuique hæc Lycæa adire fas eſſet, ſed fere ordinis alumni ingenio valentiores imbuebantur diſciplinis, quæ vitæ religioſæ congruerent, paucis admodum e ſæculari juventute ad eas excipiendas admiſſis.

At vero Carolus Cæſar, contracto in unum, ubivis quæſitior literatura occurreret, ſingulas ignorantiæ partes ſingulis artium profeſſoribus profligandas attribuit; ac inde Lutetiæ ſuper Romanum ſermonem, & domeſticum Teutonicum, Muſica, Geometria, ſtudium ſapientiæ, ac etiam Theologiæ elementa quædam tradi capta.

Ungaria ad Ludovici Regis tempora Athenæa publica nulla amplectebatur. Ungara gens bellis continuis exercita ſcientias fere ignorabat, an contemnebat. Scriptores inde ad modum pauci quovis in genere literarum Ungari occurrunt. At Ludovicus Rex Galliæ æmulatione, an ſuopte ingenio bonarum artium Academiam Quinque-Eccleſiis ſtatuit. (t)

Ne-

(t) An. 1364.

Nequaquam alienum a propoſito erit loco hoc quærere, ecquis rei literariæ apud nos ſtatus fuerit ad Ludovicum primum? ubinam juventus nobilior bonis artibus imbuebatur? equidem ſupra retuleram, in moribus fuiſſe Regni primordio, ut in Aulis ſupremorum Comitum adoleſceret juventus Provinciarum Nobilis ſub idoneis Præceptoribus; ad hoc apud nos, quemadmodum ſæculis his orbe toto, ſcientiæ fere Monachis, inque Monaſteriis eorum docebantur; proinde cum Ordo Benedictinus unus omnium maxime floruerit domo Hunnica obtinente, inde conficitur, familiæ hujus Alumnos fuiſſe apud nos primos bonarum artium Magiſtros. Floruit vero Academia Quinque-Eccleſienſis ad cladem Mohacsianam, qua commune cum Regno excidium accepit. Formam vero ejus ecquis dixerit? Janum Pannonium loci Præſulem miror, nuſpiam ſuorum operum Lycæi hujus mentionem inſerre.

Altera Sigiſmundi Regis ſtudio Budæ Regni Principe urbe, & Regum Sede conſtituta bonarum Artium Uni-

versitas. (u) Princeps hic Patris Caroli exemplo, qui Pragam sedem Musarum fecerat, Budam easdem acersivit. Qua vero forma Athenæum Budense surexerit, qui præceptores, quæ ratio docendi, discendique, ut in Regione bellis gravissimis ducentos per annos ardescente, arduum est definire. Mihi propius vero videtur, artium Magistros ab Italia, Bohemiaque accitos seu Laicos, seu ordinis Ecclesiastici, quibus e Familia Dominicana, quæ opinione doctrinæ jam tum florebat, Professores aliqui accesserint. Sed hoc intra conjecturam. Id vero exploratum, Cancellarium ejus perpetuum fuisse Præpositum Budæ Veteris, an Novæ.

Alendis ingeniis Bibliothecam nobilissimam Mathias Rex adjecit. (x) Ex hoc solo, si alia argumenta abessent, promptum conficere, quis, qualisque Mathias esset. Nam quicunque posteritatis judicium reformidant Principes, literasque, & earum cultores ode-

(u) An. 1488. (x) De hac vide Naldum Naldium in Epistolis, & libr. Carm. Item Nic. Olahum.

odere scilicet, quorum beneficio suum virtuti apud ætates venturas præmium, laudatio, sua pœna vitiis infamia perennis; contra non alia certior boni Principis nota proditur, quam amor literarum, & literatorum; nam quisquis bonas artes foverit, indicium luculentum, judicium posteritatis ab eo non reformidari.

Cæterum ut redeam, unde digressus sum; Bibliotheca Budensis erat ejusmodi, ut ejus jactura inter præcipua regni detrimenta numeranda sit. Erant ea tempestate orbe toto celebratissimæ Bibliothecæ, Romana, Florentina, ac Parisina; posteaquam Byzantinam Turcæ in ævum omne obdiderant, ut securius ignorarent; Alexandrina vero per eosdem ignibus impiis absumpta est. Mathias Rex, neque enim adhuc Superum munus ingens, ars Typographica hominibus contigit, in urbibus singulis, ubi quæsitior librorum supellex, scriptores constituit, qui transcriberent, quidvis uspiam illustrium authorum. Visebantur inde Budæ, quotquot sive Roma, sive Attica,

tica, ſive qua alia Regio opinione doctrinæ florens, ſcriptores protulit. Nullum orbe toto idioma, quo conſignata ingeniorum monumenta deſiderabantur, ſi modo ea non invita Minerva ſcripta. Nihil tam ſepoſitum, quod ejus munificentia non recluſiſſet. Ac quamquam ut homines indumenta, libros thecæ ornant, non perficiunt; attamen Rex munificus, & mercium doctarum peritus æſtimator, libros plerosque lamellis argenteis veſtiverat. Verum decor hic extimus contra, ac Rex intenderat, exitum Bibliothecæ maturavit. Sed quis animum induxerat, Mathia rerum potiente, fore, ut res Ungara, a quo ad ſummum faſtigii provecta eſt, intra breve adeo temporis ſpatium concidat? & Corvinianam Regiam Turca perſultet? accidit tamen, ut Turcicum Buda jugum acciperet ſecundum fata Ludovici ſecundi, qui tertius a Mathia Regno moderabatur. Tum enimvero librorum thecæ argento graves Turcarum avaritiam adverterant; mutilati inde libri plurimi, quidam omnino comminuti, dum avidus

dus prædæ miles ſua libris munimina detrahit. En quorſum evaſere Mathiæ Regis eruditæ curæ! Nihilominus, quod ſuperabat librorum, lytro perſoluto recipi poterat, ſi quis memoriæ Mathiæ Principis, ſimul rei literariæ apud nos incremento triginta Rhenenſium millia Purpurato Budenſi depanxiſſet. Sed profecto ea tunc Ungariæ ſors erat, ut de vita defenſanda, non locupletandis, inſtruendisque Bibliothecis fuerit cogitandum. Pazmannus Archi-Præſul, monumenta Bibliothecæ Corvinianæ æquo lytro lubens Ungariæ vendicaſſet; ſed ſcilicet Turcæ ita ejus pretium intenderant, ut omnino nihil acciperent. At vero illis Buda depulſis Viennam deportatur ſupellex Mathiæ Regis libraria. Cl. Belius etiam Gvelpherbytum (y) reliquias doctæ hujus ſupellectilis copioſas translatas vult, quod ego non inficier; attamen iſtud ante Budam per nos receptam factum contendo, quemadmodum caſtigationes diverſorum authorum ex codice Budenſi factæ, Buda etiamnum Turcica, minime ambiguum ſinunt.

(y) Notitiæ Ung. Nov. Tom. I.

Ultra has artium Palæstras alia præterea Istropoli adoleverat curis Joannis Vétéz Antistitis Strigoniensis. (z) Erat hic Præsul Rege Mathia a doctrina celebratissimus, mirum igitur non est, eum a Principe doctissimo eruditionis suæ præmium Mitram Strigoniensem obtinuisse; ultra quem eodem ævo doctrinæ opinione florebant Janus Pannonius, Nicolaus Bathori, Urbanus Dóczi, singuli Corvino Regi in pretio. Cæterum etiam hujus Athenæi forma in obscuro est; nec enim fere aliud, quam locum, ubi constitutum erat, novimus. Enimvero Istropolis flumentanum Posoniensis urbis suburbium est. (a)

Versis hunc in modum artium Lycæis, Germania, Italiaque petenda, quibus bonas literas arripiendi propositum. Sed enim non adeo diuturnum apud nos Musarum desiderium propitii cælites volebant. Acciti ab Italia Patres S. J. Nicolai Olahi munificentia, literarios ludos aperuerant in urbibus, ubi consederant. Verum in

(z) An. 1469. (a) Dipl. Math. Corv. An. 1460.

in his politiores duntaxat artes ætati teneræ tradebantur, scientiis reliquis nullo etiam tum statuto domicilio. Concessus enimvero tandem Superum munere Ungariæ Præsul Petrus Pazmannus, qui luctum ex Academiarum veterum jactura discussit. Viri hujus initia, resque gestas pretium operæ erit compendio dare, quo posteritas illum noverit, cui profligatam ignorantiam debet.

Petrus Pazmannus genere nobilissimo in Provincia Biharienſi natus; quippe cui origo Paterna repetita a Paznano, qui Ductor impositus copiis, ab Henrico Cæsare Divo Regi subsidio missis. Maternum genus Pazmanni ad Ligusticos Massæ Principes refert Alegambe, (b) quam vere, non vacat discutere; nisi forte viro doctissimo nominis affinitas errandi materies fuit; enimvero Matrem habuit Margaretham Massai nobis dictam, quasi diceres, de Massa.

Super generis claritudinem tot alia naturæ ornamenta cum ortu contige-

(b) In Biblioth. script. S. J.

gerant Pazmanno, ut in eorum contentione prærogativa ſanguinis loco ultimo cenſeretur. Oris, ac corporis totius dignitas, ingenium acre, & excelſum, animus liberalis, apertus, vividus, par cuicunque fortunæ cum ortu ſcilicet eidem cotigerant. Quæ ut fortuita ſint, certe quidem ubi congruunt, pro omine magnæ fortunæ ſolent accipi. Tot ornamentis conſpicuo ad quævis Reipublicæ munia aditus facilis erat. Sed ipſe ſingula, quibus plerique mortalium ducimur, poſt ſtudium virtutum æſtimans, Societati Jeſu nomen dat. Eam ingreſſus, ſtudio virtutum literas adjicit; neque genus ſcientiarum ullum arripuit, quod non perdidicerit. Philologus idem, Orator diſertiſſimus, eximius Theologus. Tantæ ſcientiæ cum generis claritudine, ac vitæ probitate conjunctæ theatrum auguſtius debebatur. Et vero ut tum virtutum clarorum ſterilis Ungaria, repetere depoſitum tantum poterat. Adverterant hæc talia Mathiam Regem; & Pazmannum ab Italia accitum Præpoſitura Turoczienſi exornat. Eo honore percultus

tus erroribus profligandis appulit animum, hac pietatis ſignificatione gratiam habiturus Principi ob proſpera de ſe ſenſa. Privatis alloquiis, habitis ad populum dictionibus, ſcriptis libris, ſpeque & promiſſis allicere Proceres Regni, quorum exemplis ſtat vulgus promiſcuum. His curis intento affertur, Regis benevolentia ſibi Inſulam Strigonienſem contigiſſe, Forgacsio Antiſtite rebus humanis exempto. Intendit ea res Pazmanni ſtudia, atque ex eo tempore ſpes Reipublicæ in eo ſitæ.

Jam Archi-Præſul curarum primordia eo vertit, ut ignoratione depulſa ſcientiæ Regno toto efflorescerent, probe gnarus, nequaquam literis vitiari mores, ut quidam perperam aſſerunt, verum errores, ſeu moribus bonis, ſeu doctrinæ ſanæ adverſos, longiſſime ſubmoveri.

Certus proinde artium omnium ponere domicilium, hactenus ambigebat, quamnam urbium Muſis ſedem deſtinaret. Primum occurſabat Strigonium, Caput Eccleſiæ, cui Præſul da-

datus; enimvero obstabat Turcæ propinguitas, Budæ quatuor duntaxat millium spatio Strigonio avulsæ, etiam num potentis.

Proximum musis accipiendis destinarat Posonium a Buda per Turcas occupata Regni caput. Intercessere cives sub id tempus parte potiore a Romanis sacris alieni, vetitæque inde intra urbis pomæria subsistere, fortassis ne præbiti domicilii munus munere ipsis inviso Romanis Sacris pensarent. Pazmannus igitur Buda Turcica, Posonio causa religionis exclusus, Tyrnaviam Athenæo novo sedem deligit, ubi jam aliquot abhinc annos complures Sacerdotum Collegii sui substiterant.

Academiæ vero, quam statuit, talis forma est. Super artes politiores studium sapientiæ, ac Theologiam Magistri e S. J. profitentur, cujus curæ novum Lycæum stator ejusdem mandaverat. Jurisprudentiam, ne qua pars Reipublicæ munificentiæ Pazmannianæ expers esset, terni, ut scientiæ hujus indoles fert, Laici Magistri explanant.

Tribus igitur e Facultatibus, ut amat dici, corpus hoc componitur, ea adhuc sui parte mutilum, quod saluberrimum Medicinæ studium desideretur; sed enim post paulo vota publica Augustæ munificentia cumulabuntur, &, quod felix faustumque sit, Ars Medica tradi incipiet.

A principio Athenæi hujus ad Augustam Nostram infelici superiorum sæculorum fato ea docendi ratio obtinuit, ut musas suimet suppudere posset; at vero eadem squallore deterso formam augustiorem Lycæo circumdedit, data sanctione, ut Magistri scientiarum literas profiterentur ex norma, quam ipsa viris eruditis in consilium adscitis descripserat. Egregium facinus, & sive Attica, sive ævo Augustæo dignissimum, quodque unum, si decora cætera abessent, Nostram Principem sempiternæ posterorum memoriæ commendaret. Deerat adhuc officina Typographica, adminiculum prorsus e necessitate; sed non & deesse publici boni studiosissimus Ecclesiæ Princeps diutius patiebatur; posita

taque initia Typographæo, quod subinde egregium ad modum adoleverat.

Nascenti Academiæ alendæ Regis benevolentia Præpositura Turocziensis attribuitur, Pazmanni, ad dignitates Ecclesiasticas aspirantis, primus honos.

Si quis Universitatis hujus acta nosse velit, Franciscum Kazium e S. J. adeat, qui eadem non ita pridem typis Academicis vulgaverat; unde conjectura de hoc scientiarum Lycæo capi poterit.

Stabilita artium Palæstra Clero perpoliendo appulit animum, & quoniam fere reliquum ætatis provenit, ut primordia fuissent, educendæ juventuti, quæ sacræ militiæ nomen dedit, cum alibi, tum in primis Vindobonæ amplum Contubernium a fundamentis erigit. Provido futurorum Antistiti in Regione extera suis ponendi domicilium ea causa fuit, ut armis domesticis, seu Turcicis valescentibus, sacris operis Ungaria profugis esset perfugium, supplementa simul idonea alendæ pietati formarentur. Neque frustra

stra erant hæc Antistitis sapientissimi sive auguria, sive consilia; nam a suo excessu Turcis Regnum omne persultantibus, exulibus Curionibus pro portu fuit domus Pazmanniana, bellis vero deflagrantibus eadem subsidia idonea sufficere Reipublicæ pergit.

Tali ratione futuris intentus, præsentia non omittebat. Adverterat optimum Præsulem status Ecclesiæ Ungaricæ calamitosior, quam ut remediis vulgaribus posset refoveri; igitur, quod rebus fere conclamatis unum superat, Tyrnaviam synodum edicit. Accurrunt, quotquot periculum Religionis introspexerant, ac in commune consulitur. Consulta Conventus præcipua erant, ut in usum verterentur, quantum per Leges patrias licet, quæcunque novissimus Ecclesiæ Cætus Tridenti habitus constituisset; cumprimis vero Leges illæ, quibus reverentiæ cognati sanguinis, Ecclesiasticæ immunitati, ordinum Religiosorum vigori consulitur. Ad hæc redditur suus ædibus sacris honos, Clero decor, disciplinæ sacræ sua vis, quæ-

 que

que ævo, vel armorum licentia fluxa, convaluere.

Transcenderat rerum istarum fama fines Ungariæ, nec modo Provincias vicinas impleverat, sed ad ipsius adeo Urbani octavi Pontificis Maximi aures acciderat. Pazmannus inde per ora omnium ferri; equis ille esset, quem Ungaria ferme emoriens partu novissimo ediderit? aut rectius Superi faventes concesserint ruenti in pejus ævo columen. Non semper vanus incedit rumor, crebro & futuri augur est. Ferdinandus Cæsar Pazmannum, & sibi penitus cognitum, & fama publica fortuna quavis majorem Urbano Pontifici commendat, ut virtutes adeo eminentes Romana Purpura percolerentur. Honorum id sacro Collegio, honestum sibi fore, viso, quod si fortunæ sese aliquando inserere nt minus digni, & honesti præmia honesto vacui capesserent, at certe virtutes ipsas nunquam præmiis excidere debitis.

Jam Purpuratus Ecclesiæ Princeps dictus Romam a Cæsare destinatur, Prin-

Principis sui cum Pontifice occulta, atque inde altiora odia compositurus, simul subsidio adversus Turcas obtinendo. Urbanus adventantem comiter excipit; fovetque, dum causæ adventus in occulto, quæ simul patuere, atque negotia suapte invisa, oratione liberiori, quam adulatione imbutæ aures ferre possent, exponit; enimvero Pontifex difficilem se Oratori exhibet. Attamen utcunque hæc sint, legatio Pazmanni vota Cæsaris supergressa est; nam & suam in Gallias propensionem exinde cautius promebat, simul bello adversus Turcas subsidia largissime addicta.

Redux ab urbe Pazmannus ætatis reliquum pietatis operibus, cum maxime vero convellendis erroribus, certus impendere, in id incubuit, ut manum supremam acciperet egregium opus, controversas fidei quæstiones sermone Patrio complexum. Profecto libro hoc profligatur, quid quid sæculis novissimis dogmatis novitii septentrio prodidit. Fructus Hodœgi, ita inscripsit opus, familia-

 rum

rum Regni præcipuarum ad Romana Sacra transitus est.

Hæc inter Cæsar Ferdinandus ætate, & curis fessus Germaniæ Procerum conventum Francofurti habet, de successore solicitus. Apertiora erant Augustæ domus in imperium merita, quam ut successorem extra eam quærere vellent septemviri. Quare votis communibus Rex Romanorum evincitur prior annis Ferdinandi filius, quem Francofurto reducem dum causa officii Pazmannus adire parat, valetudine corripitur, ac malo in dies gravescente Christianum in morem rite comparatus vivere desiit. Vir undequaque maximus, ac prorsus eorum de numero, quos Deus Regnis concedit, cum suam in illa benevolentiam commendare ipsi visum est.

Alterum artium Lycæum Cassoviæ principe superioris Ungariæ urbe munificentia Joannis Kisdii Agriensium Antistitis surexerat. Adnotare libet, plerasque Musarum sedes apud nos Præsulibus sua initia debere. Unde cen-

censorum genus iniquissimum coarguas, qui vel Regum nostrorum in res sacras liberalitatem, vel ipsos Antistites censura perfricant acerbissima, ut si in luxum verterentur sublevandæ turbæ inopi, monumentis pietatis instaurandis statorum voluntate destinata. Verum quisquis censuram adeo iniquam exercere doctus est, is velim præscripta Palæstris Fundatorum nomina, vel marmoribus impressa symbola perlegat, neque non benigniorem in Præsules accipiet animum. Cæterum Kisdius scientiarum domicilium Cassoviæ molitus, idem animo intendit, quod Pazmannum ad musas accersendas perpulit, nimirum super commune totius Reipublicæ bonum Cleri junioris formatio.

Novæ hujus Academiæ nulli adhuc paruerant, quibus res gestæ exemplo Universitatum aliarum literis consignantur commentarii, seu scripturæ diurnæ, seu quo alio libet insignire vocabulo libros, qui societatum eruditarum acta recensent.

Norma docendi ac discendi e Tyr-

navienſis Lycæi diurno, annuoque curſu exſcripta eſt, idque fere invicem differt, quod Juſtinianus illic ultra mitiores muſas, Philoſophicasque, & Theologicas diſciplinas, explanetur, Caſſoviæ res literaria abſolvitur Theologia, ac Philoſophia, quæque ad has ſcientias deducunt elegantiores artes. Suppuduit urbem Regni principem ſe ſcientiarum ſede deſtitui, poſtquam notæ minoris urbes hac prærogativa reſplendeſcunt. Labefactis igitur Turcarum in Ungaria rebus, Buda de integro fit domus muſarum Georgii Szecsenii Regni Primatis munificentia.

Præſules alii, ſeu ſtudio æmulatus, ſive boni publici, urbes Diœceſeon ſuarum primarias ſcientiis aperuerant. Agria, Jaurinum, Vaczia, Varadinum, loca hactenus ex una ſitus amœnitate, aut mænium amplitudine, ac firmitate celebria, jam novam a muſis claritatem accipiunt. Bonæ artes docentur, ubi olim belli machinamenta, tormenta, plumbum ferrum, enſes, cæteraque inſtrumenta celerandæ morti inventa ſervabantur.

Fovete Superi hoc noſtrorum Antiſtitum in bonas artes ſtudium, ac pares animos inſpirate illis, ad quos lege fati hæc honorum Inſignia, titulique transibunt. Enimvero querimoniæ conticeſcent exaggeratæ, atque etiam aliqua ſui parte veræ, quibus ſuum bonis artibus pretium apud nos gentes exteræ requirunt; etenim, ut eloquar, quod res eſt, hactenus eorum Cenſura intra æquitatem, dum artis Medicæ Palæſtras, ac Societates ſcientiarum, ſive etiam artium, quæ manu perficiuntur, apud nos requirunt. Nihilominus cum eum in modum Cenſura intenditur, ut ſi omnino exiguus apud nos haberetur literis honos, tum vero eadem citra fidem, & citra verum. Namque & fortunæ cuivis ſe inferunt adminiculo literarum, quibus generis obſcuritas pro impedimento, & claritudo generis ſtudiis literarum illuſtrata proniores ad quæque invenit aditus. Perperam igitur de re literaria noſtra æſtimaverat quæpiam Societas Eruditorum, cum unius Metaphyſicæ notitiam, & ſermonem Romanum nobis attribuit, ſed ita in bar-

Barbarum corruptum, ut ſeu Solæcum, ſeu Oſcos redoleat.

Subjungendæ veniunt ſcientiis artes honeſtæ juxta, atque ignobiles. Hac enimvero parte ſemper laborabatur apud nos. Concedant utinam propitii Cœlites ſuos Ungariæ Colberros, qui hanc Reipublicæ partem Regibus noſtris emendandam perſuadeant.

CAPUT XIV.

Ortus Nobilitatis; ejus claſſes, ac prærogativæ.

Non apud cultas modo, verum etiam gentes illas, quas, quod a vitæ inſtituto politiore abhorrent, artesque, & ſcientias deſpicatui habent, barbaras dicimus, diſcrimen tale hominum invenitur, ut alii aliis præſtent, & cum vita fatum lætius accipiant. Genus hominum, quod loco ultimo locamus, plebem compellamus; contra nobiles dicimus, quos plebejorum ſyllabo eximimus, diſcriminandos non minus & ipſos invicem.

No-

Nobilitas apud nos communia cum Regno habet primordia. Duces, Tribuni, Centuriones e Scythia egreſſi Ungaricæ nobilitatis Statores ſunt. Sed enim a principio unicus nobilium ordo apud nos erat, Ducum, Principum, Comitum, Baronum ſplendida vocabula primis Sæculis ignorabantur in Ungaria, nec niſi domo Hunnica vergente valere cœpta. Nam Banorum, Comitum ſupremorum, ac alii ſuperius recenſiti honorum tituli, Magiſtratuum nomina erant. Carolus Andegavenſis e domo mixta Rex tertius Comitum inſignibus vel primus omnium quosdam nobilium percoluerat, vel eadem ad plures propagavit, Wenceslao, aut Ottoni uſurpata. Nihil tamen juris amplioris, & immunitatum eminentioribus his honorum titulis domi noſtræ ſubeſt, Comes, Baro, Nobilis, nullo diſcrimine, paribus prærogativis pollent. Ad ordinem vero nobilitarem obtinendum hæc patet via, bello parta decora, eruditio quæſitior, Regno, Regique navata illuſtrior opera, certum nobilitatis aquirendæ omen. Sed jam nobilitatis noſtræ genus quadruplex dabo.

Primo loco veniunt nobiles illi, qui prærogativam hanc cum villa aliqua, vicove, aut ampliore adhuc latifundio accipiunt; his proximi, quibus ordo equeſtris citra ullam ejusmodi donationem advenit; locum tertium Palatinalibus tribuo, ultimum denique nobilibus iis, quos Archi-Epiſcopales, Epiſcopales, aut Abbatiales dicimus.

Nobiles Epiſcopales, & Abbatiales appellamus, qui ſyllabo plebis eo fine exempti, ut defenſioni Eccleſiarum, quarum donum nobilitatem acceperant, præſto ſemper eſſent, tum poſtea coorto bello Prælatos ſuos ad bella profectos comitarentur. Hodie verſis, rebus ſic poſcentibus, magna parte veteribus inſtitutis, Nobiles Epiſcopales, ac Abbatiales Regibus, qui jam Eccleſias ſoli incolumes præſtant, vectigal pendunt. Strigonienſis, ac Jaurinenſis Eccleſia, ad hoc celeberrimum monaſterium ad S. Martini id generis nobiles complures numerat.

Pa-

Palatinum Regni dicendi nobiles valere poteſtate, ſupra retulimus, ſed ejus munificentia datum jus nobilitatis a Rege ratum haberi ſolet; ac tum nobiles ab eo dicti exæquantur iis, quos Reges per ſeſe in ordinem equeſtrem referunt.

Duplex vero ratio eſt nobilitatis conferendæ Principibus noſtris, alios nobilium Albo inſerunt adjecta etiam agri alicujus donatione, ut jam dictum eſt, alios citra illam Catalogo plebis eximunt; id genus nobilium Armaliſtæ ſunt, ſic appellati, quod illis armis aquiſitum nobilitare decus.

Prærogativas duplex hic ordo nobilium Regiorum has habet invicem comunes; ſcilicet quod generis utriusque nobiles muneribus Reipublicæ capeſſendis ſint idonei; nec minus teloniorum, & hujusmodi onerum immunitate ex æquo gaudeant. At vero iis invicem differt, quod Armaliſtæ hodie Regi vectigales ſint; cæteri vero expertes vectigalium. Nihilominus bello ardente facere ſtipendia ex legibus aquiſitæ nobilitatis debent.

bent. Atque en ! initia apud nos militiæ nobilitaris.

Nobilitatis apud Turcas sors multum nostræ affinis est ; nam quicunque ea donantur, onerum publicorum immunitatem una accipiunt ; neque non fundi alicujus possessionem adeunt; attamen ea lege singula hæc in novos nobiles conferuntur, ut militiæ mereant, quoties salutis publicæ refert. Atque isthinc conflatur equitatus Turcicus, *Spahios* ipsi dicunt.

Primis domesticæ Reipublicæ sæculis jus nobilitatis citra omne Diploma dari solebat, cujus vicem abunde pensabat ager dono acceptus simul cum jure nobilitatis; agros hos *Prædia* dicimus, & fere a servis bello captis exercebantur. Id vero *Prædia* hæc peculiare habent etiamnum, quod immunia sint seu vectigalium, seu onerum aliorum quorumvis.

CA-

CAPUT XV.

Commercia.

Nobilis metalli divitem Ungariam supra dixeram, & nemo nescit. *Sed fere accidit, ut egentiora sint*, quibus domi aurum, & argentum gignitur, Regna, iis, quibus nobilissimas mineras natura negaverat. Viget opibus Gallia, nuspiam regno toto nobiliore metallo proveniente ; sed scilicet pro auri, argentique venis est cultura vitium, & agrorum, lanificii, panni, & vestis sericæ texendæ, pingendæque assiduitas, quæque alia gens industria alliciendo auro extero subsidia reperit.

Apud nos satis iri consultum existimant opibus publicis, cavendo lege, ne æs natum domi, sive informe adhuc, sive jam in vultus Principum ab arte transierit, in exteras Regiones exportetur. Dum suus constabit honos fictilibus mensarum ministeriis,

vesti sericæ, gulæ irritamentis, quæque alia effundendæ pecuniæ inventa, neque domi singula confient, semper vetabitur pecuniæ exportatio, eademque semper exportabitur. Magnes proinde unicus illius seu alliciendæ, seu conservandæ commercia sunt.

Augustus Cæsar gloriabatur teste Svetonio, sese Romam marmoream relinquere, quam acceperit lateritiam; sed nempe non promotis Imperii finibus, cujus vires plerumque decrescunt, cum fines latius protenduntur, non spoliis exterarum gentium, quamvis fere Romam commigravit, quidquid uspiam natura, vel arte pretiosum; verum solis pacis, & commercii fructibus eo fastigii provectum Caput Mundi Principe Augusto, ut pro dignitate Imperii tunc primum splendere sit visum.

Ungariam nunquam viguisse commerciis eum ad modum, quem tot fluminum opportunitas spondeat, in apperto est. Dalmatiæ portus, flumina pa-

patria alvei ingentis nequidquam Regum nostrorum providentiam invitabant. Herculis Columnæ nunquam transcensæ carinis gentilitia scuta præferentibus.

Cujus rei causas vestiganti mihi hæc fere occurrunt. Primum, quod bellis adeo implicabantur Principes nostri, ut non alia ex aliis nasci, sed aliis alia inseri diceres; neque hostem unum cessisse campo, nisi ut alter in eum descenderet. Proximum impedimentum suberat, soli ubertas nimia, & molli suetæ imperio genti vectigal modicum; quamnam autem unquam artem docuit indulgentia? nempe juxta socordiam posita, ejusdem altrix est. Huc accedit numerus incolarum amplitudini Regionis nullo non tempore impar; jacent enim vero artes, & commercia, non superfluente populi multitudine. Denique nec gentibus exteris eum ad modum exercita commercia melioribus rebus nostris, scilicet nondum adulto luxu, qui ubi in immensum prorupit, simul per Reges Catholicos, & Lusitaniæ reseratis

 ma-

maris claustris detecta America, & tractus Asiæ vastissimus, qua in extrema orientis sinuatur, enimvero eadem intenta; sed nempe jam labefactis rebus nostris hæc evenerant, ut vero in præsens nulli nobis navibus accipiendis portus, commercia Regni finibus sunt coërcenda. Sed rem profecto miram, gentibus exteris incerta fluminum, vada maris, & Syrtes oberrantur commerciorum ergo, ipsi eadem agitare domi, vix sustinemus.

Indumentis parandis fere e Regionibus exteris pannum accersimus; quodque censura dignius, lanam, quæ domi provenit, venumdamus, mox sub nova imagine redituram.

Supellectilem lineam non minus a populis vicinis paramus impendiis non levibus, utut Provinciæ nostræ, quæ in Septentrionem procurrunt, pari cœlo subdantur, & solo gaudeant amico lineæ sementi.

Ex quo ea quoque pars luxus adolevit, ut Conclavia augustiora cereis luminibus collucescant, relegatis, quæ adi-

adipe flammantur, novus reclusus est aditus, tramittendæ ad Polonos pecuniæ, ubi cura mellificii inter æconomiæ præcipua. At certe ora Temesiensis cum finitimis Provinciis, quibus frigorum asperitas abest, alendis apibus imprimis idonea. Fortasse nobilissimus Mercius extimæ hujus Ungariæ ex vero Pater, hanc quoque æconomiæ partem eo acciverat, nisi spes ulteriores mors fato propera præcidisset. Sed prolixior esse nolim, quod in hoc argumento versari, tantum non juxta ambitionem.

At enim sunt, qui citra maris adminiculum vix posse intendi commercia, reputant; sed profecto, quibus hæc opinio, Misniam tota Germania opulentissimam ex eorum usu, nunquam promerito æstimaverant, cui terra continente cinctæ undique, industria pro portubus est. Etenim eo denique pertinuit Misniacarum urbium sedulitas, ut bellum suscipi Europa tota vix queat, quin Societates artium, artificumque, magno numero Saxonia septemvirali occursantes, bel-

li incommoda perſentiſcant, certo indicio, nullam Europa tota eſſe Regionem, quo ſe Misniaca commercia non penetraſſent. Uſque adeo verum eſt, portusque & naves, quæque alia mercibus mutandis opportuna, præſto eſſe, ubi induſtria adſuerit.

CAPUT XVI.

Ærarium Regium.

Regum noſtrorum ærario multiplex ſa canalis opes invehit, in militem, Regni munimenta, Magiſtratus, ac demum privatos Aulæ uſus Principis arbitrio diſpenſandas; nimirum Bona Coronæ, caducitates, ſalis, & metallorum fodinæ, vectigalia, & telonia,

Bona Coronæ toto Regno perampla occurrunt: ſic compellare libet peculiare Regis peculium. Plerisque in Regnis nulla Principibus propria latifundia; apud nos vero ea de cauſa propriæ Regibus, neque non magno numero Dynaſtiæ ſunt, quod Vectigalia a principio Regni perquam modica; cum

cum vero indidem, & privatus Regis miles, & munimenta Regni, & Regiæ ædes curandæ eſſent, neque Principum arbitrio intendi poterant, neceſſum inde fuit, latifundia ipſis Principibus privatorum more haberi, idque vetuſtiſſimo inſtituto; nam Divus Stephanus rerum omnium arbiter, ut ſuas Eccleſiis dotes, nobilibus fundos attribuit, ita Regum uſibus ampliſſima, ut par erat latifundia. Id vero proprium ſibi habent, quod abalienari ratione nulla, at vero ad temporis ſpatium aliquod illuſtria in Regem merita iis penſari valent.

Bonis Coronæ Fiſci caducitates ſunt affines. Patrum memoria lætiorem ejus ſortem fuiſſe, minime ambiguum eſt; enim vero rarius concedi ſolitæ a primordio Regni ſeu Dynaſtiæ, ſeu quivis etiam arctior ager, ea lege, ut a parentibus transmitteretur ad liberos. Frequentiſſimas proinde caducitates ea tempeſtate fuiſſe, neceſſe eſt; ſed & Rex ſibi navatam operam illis penſare facile animum induxerit, cum poſt paulo reverſuras noſſet. Utcunque hoc

hoc fit, exſtitere tamen Reges nonnulli, qui locupletando ærario ſtudebant impenſius; nulla inde in Rempublicam merita Fiſci caducitatibus munerabantur, quamvis magno numero quot annis increſcerent; quapropter in leges referre viſum eſt, ut caducitates a Regibus diſpenſarentur in eos, qui Regi Regnoque ſuam operam Toga, vel Sago probavere.

Tertius, qui publicas opes auget canalis; publicorum onerum difficillimum, vectigal eſt; id vero ex ratione temporum auctionem, aut deminutionem accipit. Eum ad modum Corvinus Rex bellis diuturnis exercitus intendit tributa, quæ ejus ſucceſſor deminuit. (d)

Auri, argentique, ac ſalis fodinæ Principum noſtrorum opibus novam acceſſionem adjiciunt.

Quid? quod Judæi Regno toto uni Regi vectigales olim erant? quique inde a Budenſi Caſtellano jus accipiebant. (e)

(d) Uladisl. 2. Decret. 1. (e) Illuſt. Kollár in ſuppl. ad Lamb. Commentar. de Aug. Bibloth. lib. 1.

Denique Telonia magno numero Regno toto conſtituta non leve Regis ærario incrementum dant. Liberas urbes, peculium Regis ſupra compellavimus.

Proventibus his colligendis a principio ſummus Camerarum Comes, quartus Aulæ Magiſtratus, qui ſubinde Theſaurarius dici cœpit, præerat; at vero Ferdinandi primi inſtituto Camera Poſonienſis Theſauratui ſuffecta, quæ hodiedum rem familiarem Regis, Regnique ſumma cum poteſtate per omnem Ungariam procurat; nihilominus cultura metallorum iſthinc avulſa, ſi tamen unquam, quod definire nolim, eadem Budenſi Cameræ, cui Poſonienſis ſucceſſerat, eum ad modum exercebantur, ut ſola jus metallurgis diceret; attamen Poſonienſis Camera fodinas ſalis curat, neque minus auri ramenta, ſubter patrias aquas labentia, *loturam auri* appellamus, colligit.

Regum imitatione Reginis etiam ſua erant latifundia, quibus curatores ipſæ ſuo arbitrio dabant; nec non & fodinæ Nagy-Banyenſes Reginarum dos erant.

CAPUT XVII.

Res nummaria.

Feracem metallorum Ungariam ſæculum nonum, decimumve aperuit, ac inde ſymbola domeſtica fere auro patrio imprimebantur. Metalla a principio privatis duntaxat, inque loco, cui Vallis Dominorum nomen, exercita, vero propius, privatum hoc metallurgorum genus urburarios dicimus; at vero hodie etiam Principibus noſtris propriæ fodinæ.

Slavi, an Saxones primum metalla eruerint, incompertum eſt: ipſe malim Slavis initia metallurgiæ apud nos tribuere, cum ſæculo nono, decimove, quo auri argentique venæ patuere, Saxonibus vix habitaretur Ungaria; quibus Stephano ſecundo Rege appulſis rem metallurgicam præquam antea effloruiſſe, liquet, ac eapropter Reges noſtri gentem hanc prærogativis ornaverant ampliſſimis, in quarum communionem non Ungarus, non Slavus venire potuit, quid? quod ne-

nedum jus civitatis adipiſci in montanis urbibus ante ſæculum ſeptimum decimum; quas, quod Saxones conſtruxerint, Regum benevolentia ſibi eum ad modum proprias fecerant.

Quo proventu metalla ſeu Hunnica, ſeu mixta regnante domo culta ſint, definire per inopiam inſtrumentorum idoneorum non licet; attamen id exploratum, nequaquam eo aſſurexiſſe peritiam ſeu eruendi, ſeu liquandi mineras, quo Auſtria Sceptris noſtris admota; & rurſus felicius hodie ex informi maſſa aurum & argentum excoquimus, quam ſeu Maximiliano, ſeu Leopoldo Regibus ut dies & induſtria nova rebus ſingulis incrementa dat.

Quodnam Balamberi, cæterisque Principibus ad Attilam, ac rurſum ab altero egreſſu ad Divi Stephani tempora Hunnis Ducibus genus monetæ fuerit, quisquamne conſtituet? certe non Attilæ, non Ducum, qui ſecundum ejus fata rerum potiti, ſinceros nummos ad hoc temporis in lucem quisquam emiſerat; attamen Syrmii, &

& Siſciæ officinas monetarias Romanorum Principum fuiſſe Hunnis primum Pannoniam ingreſſis, ſatis liquet: an igitur dicemus, eas communi harum urbium excidio involutas, non potius ſervatas uſibus publicis? ſed & Duces, penes quos ſumma rerum ab altero in Pannoniam ingreſſu ad primum Regem, adeo incurioſos publicæ rei dicemus, ut nullum metallum ſignarent?

Jam vero Regio faſtigio ad nos reverſo Divus Stephanus rem nummariam apud nos vel inſtaurat, vel introducit: eo, ac domo Hunnica omni apud nos regnante moneta domeſtica ad normam Byzantinam, vel Romanam imprimebatur, quemadmodum Reges domus primæ in Univerſum Romani & Græci imperii imitatione, quæ interjacet Ungaria, plurima in Sacris, & profanis rebus conſtituerant.

His igitur Regibus denarii, quod moneræ genus Romanum, ac nummi Byzantini, qui ipſa appellatione declarant patriam ſuam, apud nos cudebantur: denariorum materia fere argentum, Byzantinorum nummorum aurum

rum erat. Symbola vero talia exhibebant: pars adverſa crucem, vel Deiparam ſedentem, ac lilium, ſive virgulam manu tenentem, averſa Principis effigiem, vel Regni inſigne.

Pretium monetæ hujus ſi quis definire velit, is non modo auri, argentique pondus, verum & iis imprimendis impenſam operam æſtimet; ad hoc argenti ad aurum proportionem ſæculorum eorum ſedulo diſpiciat, ac tum demum de ejus valore pronunciet.

Mixta domo obtinente multiplex moneta valuit, ut diverſi domo Principes ad Regnum vocabantur; nempe groſſi Florentini, quos hodie Cremniczienſes dicimus, Andegavenſi domo, Bohemis, ac Polonis imperantibus, Bapkæ, Dutkæ, aliaque Bohemici, ac Polonici numeri monetæ genera.

Uladislao ſecundo Rege, qui ſimul Bohemiam obtinuit, hoc in Regno nobilis metalli venæ deteguntur, loco Joachimi Vallis nomen: tum vero novum monetæ genus, talleros dicimus, ſignari cœptum, appellatione a lo-

loco ducta. Quandonam Rhenenſes primum ſignati, non ſatis liquet: equidem, ſi quis conjecturæ locus, exiſtimo, Alberto, vel Ladislao Poſthumo Regibus primum apud nos uſurpatos.

Denique Auſtriaca domo ſceptris noſtris admota genus monetæ obtinuit, quod fere in Provinciis reliquis Auguſtæ domus. Proinde Reges noſtri ad Principum vicinorum exemplum, vel *Regnorum*, *unde ad ſolium noſtrum* acciti, eatenus ſeſe formabant; eapropter domo Hunnica Regnante denarii, ac numni Byzantini; mixta vero *groſſi Florentini*, *Bohemicum*-que, & Polonicum genus monetæ valuit; demum Auſtriacis rerum potitis, quod fere in Germania.

Ultra hoc id etiam monetam domeſticam diſcriminat, quod ut nummus quis vetuſtior, ita melior. Id ipſum apud Romanos uſuvenit; nam cum Imperii majeſtate, ſuus etiam deſluxit honos monetæ, & bonitas.

Signando metallo officinæ monetariæ Budæ, Strigonii, ac Albæ-Regiæ, poſt-

poſt vero etiam Cremniczii, & Poſonii conſtitutæ: Budenſi Magiſter Tavernicus præerat, Strigonienſem Loci Archi-Præſules curabant, qui inter præcipuas munerum ſuorum partes operam dabant, ut moneta operi juſti cuderetur, cujus rei pretium a Regibus *Piſetum* acceperant. (f)

Moneta domeſtica hodie Cremniczii, ac Nagy-Banyæ ſignatur. Contentio veteris, ac novæ manifeſtum *dat*, *quantum* ars *monetaria* ævo noſtro incrementum acceperit.

Rei metallurgicæ impoſita Camera hodie Schemniczii conſidet; olim vero Budenſis, an & alia, jus metallurgis reddebat.

CAPUT XVIII.

Status militaris.

Vetuſtiſſimis temporibus fere quot cives, milites totidem Regnum numerabat. Equitatum nobilitas componebat, quam ea lege concedi ſolitam,

(f) Car. 1. Decr. An. 1342.

tam, ſupra diximus, ut ſtipendia faceret, quoties Reipublicæ referret. Peditatus fere e plebe conflabatur, attamen quisquis plebejorum pedeſtri militiæ nomen dedit, cum nova vitæ profeſſione nobilitatem adeptus eſt. Fortaſſis hoc initium Armaliſtarum eſt.

Proinde cum Equeſtris ordo ſit apud nos multo frequentiſſimus, iſthinc colligitur, equitatu cumprimis exercitus noſtros valuiſſe; at certe & illa domitrix Aſiæ Macedonum phalanx e peditatu coaleſcebat; nec minus Romanorum exercituum robur teſte Polybio in peditatu ſitum erat, ac, ut hodierna pugnandi ratio ſe habet, niſi potiorem exercitus partem militia pedeſtris conſtituat, Architectonicæ militaris pars ea, quam Tacticam dicimus, adminiſtrari firmiter haud unquam poterit.

Hæc eſt militiæ noſtræ primorum Sæculorum imago. Domo mixta rerum potiente peditatus incrementum aliquod accepit ab oppidis, quæ, quod ei formando deſtinata eſſent, Haidonicalia vocantur; ſed perperam peditatus noſter hoc nomine inſignitur, quo olim Satrapæ Dynaſtiarum compellabantur.

Equitatum adauxerant etiam Cumani, & Jazyges, qui ut hodie ab ingreſſu ſuo in Ungariam equis merebant.

Ultra recenſitam militiam, quæ ex Ungaria educebatur, legiones Illyricæ, & Siculicæ in campum prodibant. Atque hunc ad modum militia domeſtica abſolvebatur; nam legiones, quæ Regum ære privato ſcribebantur, eorum verius, quam Regni tutela erant. Genus ejusmodi militiæ Corvinus Rex habuit, quod legiones nigras appellabat, & fere Veneto, ac Pontificio auro ſuſtentabat.

Milite hoc, qui vix centum millia conficiebat, numeroſiſſimis hoſtium exercitibus proceſſere obviam Reges noſtri, & quod mirere, adverſus valentiſſimos æmulos per quatuor Sæcula egregie, fortiterque rem noſtram tutati ſunt.

Militiam nobilem, e qua equitatum olim

olim coaluiſſe diximus, quod ſpectat, ea ab anno ſeptimo quadrageſimo ſæculi hujus in armis nequaquam fuit; utut ex eo tempore bello appetiti longe graviſſimo; at vero ad Rhenum, ad Albim, ac Oderam facinora tum edidit, qualia a poſteris bellicoſiſſimæ gentis Hunnicæ exſpectares.

Nexus argumenti poſtulat, ut militiæ ſubjungantur ſecuritati publicæ excitata munimenta. Qua Illyricum, ac Poloniam aſpicit Regnum, apertum eſt omnibus partibus, nullis arcibus firmis, quod Polonia, Croatia, Sclavoniaque amica nobis Regna; meditullio etiam Regni urbes communire ſupervacaneum; at vero pars Turcis contigua, Petrovaradino, Temeſia, Aradino, ac Szegedino, arcibus munitiſſimis defenditur.

CAPUT XIX.

Ordines Equeſtres.

Temporibus vetuſtiſſimis aurei Calcaris apud nos exſtitiſſe equitum or-

ordinem, ſatis liquet; in eum vero fere adſcribebantur præcipui Aulæ Magiſtratus; ſed enim prærogativæ ejus in obſcuro ſunt, & ipſe multis abhinc ſæculis antiquatus eſt.

Proximus huic erat, Divi Georgii honoribus ſtudio Sigiſmundi Regis inſtitutus; verum & hic ordo poſt paulo nempe Alberto Rege concidit. Fors olim, ut fere ſingula rerum noſtrarum, hujus ordinis etiam ſtatuta, & prærogativas, quæ nunc in tenebris & oblivione ſunt, in lucem educentur.

Aurati equites, quos Rex novus, mox atque Diademate incingitur, more veteri creat, ordinem non conſtituunt; cum non eis leges ullæ, non genus indumenti, non nota ulla, qua a reliqua nobilitate ſecernerentur.

Sæcula proinde abierant, quibus nullius ordinis equeſtris torques limbos ſcuti domeſtici ambiebat more cæterorum Regnorum; deſiderabatur enimvero hoc ſeu honeſtamentum pa-

 trio-

triorum Insignium, sive præmium virtutis eminentioris.

A Sæculo duodecimo per omnem late Europam varii generis Ordines Equestres coorti sunt; ostentabat, ut vetustiores prætercam, suum Vellus aureum Burgundia, Periscelidem Anglia, specie Columbæ significatum Divinum Spiritum Gallia. Cæteri Reges, ut æmulari hæc rerum agendarum exempla connixi, plures, paucioresve ordines Equitum instituerant. Ungaria, ut magnorum nominum est ferax, ita ignorabat hæc virtutis præmia.

Sed enim data est tandem sæculo huic cœli munus ingens Augusta Theresia, quæ porro desiderari apud nos passa non est hoc mentium nobiliorum incitamentum Igitur Comitiis ultimis etiamnum durantibus Posoniensi in urbe primo Ungarorum Regi sacrum Equitum ordinem fundat, quem hunc ad modum descripsit.

Magisterii dignitas fastigio Regio adnectitur, vel certe penes hæredem Regni est; Equitum classis magnæ cruti-

cis altera, altera parvæ, tertia Commendatorum: indumentum cum aurei Velleris Equitibus fere commune; insigne vero, ut jam e dictis potest argui, crux est. Sed singula exequi minutim supervacaneum, cum notitia ordinis hujus vel e publicis pagellis parari queat.

CAPUT XX.

Regni Insignia

Gentes pleræque armorum gloria conspicuæ Aquilas pro scutis gentilitiis adoptaverant, coloribus aliti huic arbitrio suo adscitis; inde albas aliæ, aliæ nigras, versicolores aliæ in Insignibus suis exhibent. Credo, symbolo hoc unaquæque suam in armorum tractatione peritiam commendare voluit. Quam recte singulæ hanc sibi laudem vendicent, non est propositi mei vestigare; at certe veteres Hunnos armorum gloria floruisse, nemo inficiabitur.

Si inde Insignia nationum virtutum symbola sunt, ex merito Majores nostri

ſtri unam omnium nobiliſſimam avium delegerant, quam ſcutis ſuis inſererent.

Divus Stephanus initiata Romanis ſacris Ungaria, quo omnem priſcæ ſuperſtitionis memoriam aboleret, gentilitia labara novare inſtituit, ut complura alia, quibuscum nullus Religioni nexus, antiquaverat. Igitur abrogato veteri, tale ſymbolum ſuffecit.

Scutum domeſticum biſariam diviſit; prior ejus pars crucem, qualem Archi-Præſules collo gerunt, exhibet, in altera Deipara Solio inſidens viſitur. Plerique ſcriptores noſtri Cruci ſubiiciunt terna, quæ ſupra recenſueram juga, ſed perperam; nam in vetuſtiſſimis ſigillis nulli ſolo, nedum in juga aſſurgenti crux incumbit; equidem ævo medio ſubdi cœpit cruci ſolum; ſed neque id aliqua ſui parte aſſurgebat. Non minus error alter late obtinuit, ut vulgo exiſtimetur, quatuor Regui fluvios primæ notæ ſcuti partem alteram interluere; ſed profecto nequaquam fluviorum ea ſunt, verum ſectiones Trabeatæ more veteri.

ri. Singulis his Sylveſtrinum Diadema imminet.

CAPUT XXI.

Recenſio Regnorum ad Ungariam ſpectantium.

Sit denique complementi inſtar recenſio Regnorum illorum, quæ olim juris Ungarici erant. Hæc adferre viſum eſt, ut videant populares noſtri, quantum a Majoribus abluſimus poſteri. Divus Stephanus quavis in re exemplar rerum agendarum, & incitamentum ſucceſſoribus, Tranſylvaniam armis aſſertam Ungariæ adjicit, ac ejus titulos primus uſurpat. Et manſit Tranſylvania penes Reges noſtros, utut identidem negotia iis faceſſeret, ad Joannis Zapolyæ tempora, qui eam ab Ungaria avulſit. Parebat inde diverſis domo Principibus fere ſerie non interrupta, quorum nonnulli fidem in Reges noſtros omnino exuerant, alii fiduciarium jus quadam obſequii ſignificatione probavere. Ultimum domi Principem Michaëlem

lem Abafium venerata eſt, cujus opera Ungariæ de integro inſeritur.

Salomon Rex adjutoribus Geyza, & Ladislao fratribus Comitatum Covinenſem, cujus caput Belgradum ad confluentem Danubii, & Savi ſita urbs, ac Banatum Machovienſem Ungariæ adjungit. Banatus hic ſæpe in cognatos Regum transferebatur, quemadmodum luculentum ſit ex Diplomate Eliſabethæ, Viduæ Stephani quinti, quæ Ducem de Machov ſeſe compellat. (i)

Divus Ladislaus ſolus rerum arbiter a morte Zolomiri Regis Croatiam, & Sclavoniam Ungariæ *aſſerit qua armis*, qua deditione. (k) Soror Divi Regis ultima Regnorum horum Regina commentitia eſt. Regna hæc cum Dalmatia contigua olim unius Sclavoniæ nomine veniebant; indeque Bani Sclavoniæ dicuntur in Regum Diplomatis, qui triplici huic Regno pro Regibus moderabantur. Primus eadem diſcriminavit, ſeu placendi ſtudio, ſeu avidus titulorum Mathias Corvinus. Sclavonia, quanta eſt, noſtra

(i) Apud Raynald. (k) Spalatr. Chron. cap. 17.

ſtra eſt, neque minus Croatiæ pars potior: Regni caput cum agro circumjacente Turcis paret.

Colomannus Croatiam maritimam, (l) & Ramam ſubigit, ac primus Regni Ramæ titulum uſurpat. (m) Dalmatia in Venetos, ac Turcas dividitur, nobis portione ejus modica relicta. Sed & pars exigua Regni hujus, nimirum civitas Raguſana cum agro circumjacente turbidis Ungariæ rebus ſe in libertatem aſſeruit, quam hodiedum retinet.

Emerico Rege Bulgaria, & Servia reliqua in poteſtatem noſtram conceſſit, (n) qui etiam Regem Regni utriusque ſe primus appellat; hodie utrumque Turcici juris eſt.

Andreas ſecundus Galliciam, ſeu Halliciam, & Lodomeriam Ungariæ aſſerit. (o) Vero propius, delata Andreæ

(l) Dipl. Coloman. An. 1102. (m) Ex Dipl. apud Lucium libr. 3. cap. 3. (n) De Servia liquet ex Rayñal. ad An. 1202. de Bulg. ex Epiſt. Innoc. Pap. data An. 1202. apud Baluz Tom. 1. pag. 619. (o) Epiſt. Andr. Regis ad Innoc. Pap. An. 1214.

dreæ hæc Regna a Primoribus, quod diffidiis domesticis, Principe extero sceptris admoto, præcavere voluerint. Ludovicus primus Regnum utrumque Polonis tradidit, hodieque Poloniæ partem constituunt.

Andreas idem Banatu etiam Severinensi adjecto Regni fines propagat. (p) Est Provincia hæc pars Valachiæ. Mathia Rege a Turcis occupatus Banatus iste; cui idem Temesiensem suffecit.

Bela quartus Bosniam Regno adjicit. Bosnia bifariam dividitur, in superiorem, & inferiorem. Superior, Herzegovina, aut Ducatus S. Sabæ dicta, illustri familiæ obnoxia erat; (q) inferior vero juris Ungarici. Bosnia nostra subinde propinquis Regum, adjecta Ducum appellatione, dabatur, quemadmodum Elisabetha, Major Ungariæ Regina, ac Stephani quinti Vidua Ducem Bosniæ se appellat. Ludovicus Andegavensis Bosniam Regnum primus dixit. (r)

Idem

(p) Monument. Famil. Bossanyianæ. (q) De hac Familia vide Du Fresne in Famil. Dalm. & Sclav. (r) Dipl. An. 1364.

Idem Bela Cumaniam sibi, ac successoribus Regibus asserit. Cumania limitibus olim amplissimis definiebatur, Valachiam, Moldaviam, Bessarabiam, & partem Tartariæ Europeæ complexa. Pars Cumaniæ ea, quæ nobis Moldavia, Turcis Carabogdania, id est, Bogdani terra nigra appellatur; quod ager Provinciæ frumenti cujusdam nigri sit ferax. Cumaniæ titulos primus Bela Rex usurpat, sed multo sanguine eidem stetere. Hodie Cumania Turcica est, quanta est.

Ad occasum etiam Regni fines promovit Bela Rex, addita Ungariæ Styria ad montem *Semering*. (s) Primus Ducis Styriæ titulos Stephanus quintus Belæ filius, & junior Ungariæ Rex usurpat. Verum Provincia hæc tempore modico in fide Regum nostrorum mansit; huic prorsus Stephano per Ottocarum adempta.

Carolus primus Blachiam Urosio Rasciæ Despota devicto Ungaram facit, vel potius recuperat amissam. Valachia olim bifariam secta erat, in Ba-

na-

(s) Chron. Melic. ad An. 1254.

natum Severinenſem, & eam, quæ per Hoſpodaros, ſeu Vayvodas pro Regibus Ungariæ curabatur. Hodie quanta eſt, Turcis paret.

Sigiſmundus Rex Venetos bello appetiturus Provinciæ Scepuſienſis portionem bene magnam Poloniæ Regi Uladislao pignori dat 37000. Sexagenarum latorum groſſorum numeri Bohemici. Mirum eſt, Polonos ſcriptores altum ſilere de Diplomate hac ſuper re confecto.

Mathias Corvinus Bohemiam, Sileſiam, Luſatiam, ac Moraviam, qua Romani Pontificis authoritate, qua populi a Rege ſuo deficientis voluntate Ungariæ addit. (t)

Jam vero iſthinc planum fit, a Mari Adriatico ad Pontum Euxinum, & rurſus ab Odera ad juga Carnorum pertinuiſſe olim dominatum Ungaricum. Verum ut nunc Regum noſtrorum potentia ad ſummum faſtigium provecta eſt, ſpes non ex vano affulget, fore, ut Provinciæ a nobis avulſæ recuperentur.

(t) Balbin. Rer. Bohem. Epit. lib. 5. cap. 10.